ERRATA GRAVIORA.

Pag. 5. lin. 10. inſcripti *lege* in ſcripti

— 6. lin. 1. veritatis *lege* veritas

— 7. lin. 15. Videam *lege* Videamus

— 10. lin. 21. nullo *lege* ullo argumento &c.

— 11. lin. 15. auctoritas *lege* auctoritatis

— 11. lin. 21. Patres Hieronymum *lege* Patres. Hieronymum &c.

— 11. lin. ult. petitio *lege* petito

— 12. lin. 1. hilo exprimunt *lege* hilo plus exprimunt

— 15. lin. 4. imminent *lege* immineat

— 17. lin. 9. eum Tournelio *lege* cum Tournelio

— 19. lin. 18. S. Optata *lege* S. Optato

— 22. lin. 14. ergo *lege* ego

— 23. lin. 23. voluminis *lege* columnis

— 36. lin. 28. cur eum *lege* cur cum

— 39. lin. 6. mentibas *lege* mentibus

— 41. lin. 23. præſertibus *lege* præſentibus

— 44. lin. 19. fuiſſet *lege* feciſſet

— 45. lin. 21. particularis Eccleſia *lege* particularis Eccleſiæ

— 45. lin. 24. tum *lege* tu

— 46. lin. 29. fater *lege* frater

— 48. lin. 16. porro Chriſtus *lege* porro. Chriſtus

— 49. lin. 30. infirmum *lege* infimum

— 50. lin. 36. ex quod *lege* eo quod

— 53. lin. 23. nonum *lege* novum

— ibid. — — conſultat *lege* conſulat

Digitized by Google

n. 5. temeritate *lege* temeritati
n. 6. Apoſtolis pro- *lege* Apoſtolis, pro-
n. 13. conſonans *lege* conſonas
n. 7. momente *lege* monente
n. 4. macum *lege* mecum
n. 9. Adminiſtra- *lege* Adminiſtratio
n. 31. Pœne *lege* Pone
n. 22. adere *lege* addere
n. 18. de oro *lege* te oro

Typographus, tredecim ſeptimanes, ius, impreſſioni horum quatuor qua- n impenſis, editionem moratus eſt, hisce implevit.

Digitized by Google

REFUTATIO AMICA
REFLEXIONUM
IN LITTERAS RETRACTATORIAS
JUSTINI FEBRONII

AB

AUCTORE ANONYMO EDITARUM

Francofurti & Lipſiæ

1779.

SUSCEPTA

A

BENEDICTO STATTLER,

SS. Theol. Doctore & Prof. P. O., Procancellario Univerſitatis Anglipolitanæ.



Euſtadii & Günzburgii,

Sumtibus Joannis Baptistæ Widenmann, & Josephi Berlout, Comp. Bibliopolæ.

1780.

Digitized by Google

urum eſt virtutem vitium dici.

Digitized by Google

LICENTIA
Reverendiſſimi Ordinariatus Euſtadiani.

Præſens Refutatio amica Reflexionum in litteras retractatorias Juſtini Febronii &c. nihil fidei orthodoxæ, nec bonis moribus contrarium, plurimum vero Sacræ eruditionis, & profundæ doctrinæ theologicæ cum Sapienti, & moderata Criſi continet, propterea digna cenſetur, ut ad celebratiſſimi Auctoris ſui, & Reverendiſſimi, ac Illuſtriſſimi illius, quem defendendum ſuſcipit, gloriam, & famam immortalem Authoritate Ordinaria approbetur, & lucis publicæ fiat.

dat. Euſtadii die 20. *Maij* 1779.

Joan. Martinus Lehenbaur
SS. Theol. Licent. Vicar. in
Spirit. Generalis. Mpr.

Digitized by Google

Digitized by Google

Oblata mihi ſunt ſuperioribus hisce diebus pauca quædam folia typis impreſſa, quorum hæc inſcriptio: *Reflexiones in Litteras Retractatorias Juſtini Febronii Die I. Novemb. Anni MDCCLXXVIII. Romam Miſſas. Francofurti & Lipſiæ.* 1779. Auctor, mihi oppido ignotus, nomine tenus me non ſemel, nec ſine honoris ſignificatione, inſcripti fui decurſu appellat; & nunc ſenſa mea adverſus Juſtini Febronii retractationem allegat, nunc me, ceu cum retractante Febronio ſentientem, aliquando arguit, ac, ſua quidem opinione, refutat. Ut vero honoris ſignificationi vices omnes redditas a me volo; ita nec, cum ceu retractantis Febronii adverſarius allegor, nec quando, ceu commumuni cum illo errore implicitus, ab ignoto iſto auctore redarguor, ſine veritatis gravi præjudicio perferre ſilentio poſſum. Amicus Plato,

Digitized by Google

nica veritatis. Minus etiam ferre
, ut vel ſuſpicio quædam in me
de illorum ſenſis participem, qui
i Viri Juſtini Febronii Retractatio-
ıſilli animi, & vigoris priſtini ſenio
cimen, ſugillant. Ego vero (tam-
ſciam, animi illius magnitudinem
eo nec egere, nec ex iſto commen-
ıltum accipere poſſe; cum infra di-
lluſtriſſimi illius Præſulis, celebrita-
ominis, longe ſim poſitus) ego vero,
tanta admiratione magnifici iſtius ex-
nta ob triumphum iſtum veritatis de
ıimo illo lætitia repletus ſum, ut ne
quidem ſuſpicionem ferre patienter
ne non toto animi mei ſenſu ſive ipſi
ſapienter retractanti, ſive ſapientiſſimis
applaudere; quibus illi factum tam he-
& utile ſaluti animorum, denique per-
fuit. Utque ipſo opere hæc ſenſa mea
em; amice & paucis reſpondeo iis,
flexionum auctor huic Febronianæ Re-
oni objicere palam non dubitavit.

ipſa *Præfatione* Auctor Reflexionum ſim-
·pronuntiat, nullam fuiſſe *rationem*, cur
ıius retractaret. *Scandala puſillorum per-*
la potius fuiſſe, *quam veritatem relinquen-*
Vix ſe adduci, ut credat, Febronium *tam*
iter erraſſe. Non ita errare ſolere ingenia
ı, ut, dum integram ſententiarum texunt
ım, nil niſi falſitates obtrudant, maxime ſi
n amoris proprii ſtudium, ſed optima mentis
tio ad ſcribendum incitavit.

Enim-

Enimvero Auctor Reflectionum aut minus cohærente aſſertionum nexu Cap. I. *virum plane ſingularem* me appellat, aut hoc ipſo fateri debet, magna ingenia ſubinde etiam tunc errare, dum integram ſententiarum catenam ſibi rite texere videntur. Ego enim vir ille ſingularis perinde ac Febronius ſeptentiarum catenam ubique texui, & tamen ambo in principiis æque ac conſecutionibus, quas teximus, magnopere ab invicem diſcedimus; ac proinde alteruter certiſſime non ſemel erravit. Num vero id in rebus, quæ puſillis ſolummodo ſcandalum afferre poſſint, & quas retractandi, nulla ſit ratio, quæ magnum Febronium movere debeat? Videam id quidem.

Ego hanc eſſe legem Chriſti fundamentalem oſtendo (in Dem. Cath. a §. 129. uſque ad 143.) ut S. Petrus, illiusque perpetuus ſucceſſor aliquis, ceu ſupremus Chriſti in terris Vicarius, cum vera poteſtate jurisdictionis ſic regat omnem Eccleſiam Chriſti, ut ejusdem jurisdictioni poteſtas omnium reliquorum Apoſtolorum, hisque in eo miniſterio ſuccedentium Epiſcoporum, tanquam vere ſuperiori ſubordinetur. Hujus oſtenſionis fundamentum omne reponi in eo porro oſtendo, quod Matth. XVI. ipſe S. Petrus immediate a Chriſto, ſolus ex Apoſtolis, *petra* illa conſtitutus fuerit; ſuper qua ſic fundaverit divinus legislator Eccleſiam ſuam, ut *portæ inferi non prævalerent adverſus eam;* item quod *ibi quidem* uni Petro immediate a Chriſto *claves* (id eſt, ſuperior jurisdictio in omnes fideles, etiam Apoſtolos,) datæ fuerint; non autem Eccleſiæ (etſi Petro in bonum eccleſiæ:) aut corpori Apoſtolico per Petrum repræſentato; ſic, ut Petrus ipſe cum

Digitized by Google

ſuis Succeſſoribus eas minime ab Eccleſia, aut corpore Apoſtolico, hujus nomine miniſterialiter gerendas, acceperit (Dem. Cath. §§. 133. 141. §. 151. 265.). Oſtendi ibid. §. 208. in notis, quam periculo plena ſit licentia, quam ſibi Catholici Doctores aliqui ſumſere, verba Chriſti Matth. XVI. interpretatione diſtorta detorquendi ad ſenſum mere figuratum; quaſi non perſonæ Petri, ſed vel corpori Apoſtolico, per Petrum repræſentato, vel toti Eccleſiæ, *ibi* a Chriſto promiſſa ſuperior illa poteſtas fuerit; ab Eccleſia, vel corpore Apoſtolico, primum conferenda Petro, ut miniſtro Eccleſiæ, vel corporis Apoſtolici: periculum hoc denique in eo conſiſtere, quod, ſi ſemel ea licentia ſumta fuerit in obſcuros ac figuratos ſenſus detorquendi verba Chriſti, legem fundamentalem aperte complectentia; fundamentum graviſſimi omnium ex Catholicæ Eccleſiæ propriis dogmatis eo ipſo ſubruatur, nempe infallibilitatis ejusdem veræ Chriſti Eccleſiæ in docenda Chriſti religione & lege; imo legem ipſam fundamentalem reddi obſcuram, ac maxime dubiam, eoque ipſo inutilem irritamque, cum evidenti ſapientiæ divini legislatoris injuria & præjudicio (ibid. §. 138.). Conſentit denique mecum omnis catholicorum Doctorum multitudo, ad argumentum fidei, eoque ipſo ad legem fundamentalem regiminis Eccleſiæ a Chriſto conſtitutam, pertinere Primatum veræ jurisdictionis S. Petri, ejusque perpetuorum Succeſſorum.

Atqui tamen has omnes partes legis fundamentalis iſtius everterat Juſtinus Febronius *in Libro* ſuo *ſingulari* Cap. I. & II. Nam Cap. I. §. 2. illud Chriſti Matth. XX. *tu es Petrus &c.* probat, eo accipi debere, ut ſub Petro omnes Apo-

Apoſtoli intelligantur. §. 4. ait, ex Actis Apoſtolorum VIII. 14. patere, Apoſtolos nullam in Petro ſuperioritatem reſpexiſſe. §. 6. concludit: *univerſitati Eccleſiæ clavium poteſtatem collatam fuiſſe.*

Inde porro Cap. II. ſtatuit (§. 4.), nulli Apoſtolorum fuiſſe poteſtatem in alium Apoſtolum, ſed ſingulos fuiſſe ſubjectos Collegio: Petrum quidem Collegii *Caput* ac *Majorem*, non ſtricta ſignificatione *Superiorem* fuiſſe: Eccleſiam jus acceptarum *clavium* per Petrum ejusque Succeſſorem, tanquam *per primum Miniſtrum* ſuum, exercere: ad hoc miniſterium rite exercendum cum neceſſaria auctoritate inſtructus eſſe debeat refragantes compellendi, de mediis convenientibus per Canones proviſum eſſe. §. 11. tenet, *Principatum* Romani Pontificis, ut Succeſſoris, S. Petri, *non tam eſſe jurisdictionis, quam ordinis, & conſociationis*: atque idcirco defendit affirmate, *excommunicationem non eſſe actum jurisdictionis proprie talis:* ſe, quod multi in Papa vocant, jurisdictionem, malle dicere *auctoritatem:* & hæc quidem tantum ſe tenere de juribus Primatui *a DEO* annexis, non de iis, quæ illi *ex facto hominum* acceſſerint.

An vero, Amice! (ſic compellare liceat ignotum mihi Auctorem Reflexionum:) an hæc revocandi *nulla ratio* Febronio ſecundum te fuit? an hæc ſolum puſillis eſſe ſcandalo potuere? An, quæ ad legem ipſam fundamentalem regiminis Eccleſiæ Chriſti pertinent, ea nullius momenti videntur tibi? An vero tibi illa a me contra Febronium oſtenſa, ex *plurimis* illis ſunt, quæ, etſi nunc a Febronio retractante *agnoſcantur ut vera*, tu tamen *ex illius immorta-*

talibus libris didiciſti eſſe falſiſſima? An ergo tu quoque credis, ac tenes affirmate, per ea verba, *tu es Petrus*, non Petri perſonam, ſed corpus Apoſtolicum intelectum a Chriſto fuiſſe? Anne & tu tenes, non Primatum jurisdictionis Petro a Chriſto collatum, ſed ſolius auctoritatis, ordinis, & conſociationis? in ipſo munere Primatus Petrum, hujusque Succeſſorem, non Chriſti, ſed Eccleſiæ, ſed corporis Apoſtolici miniſtrum agere? Si ita eſt; quo pacto ego *vir ſingularis* & *Theologiæ reſtaurator* tibi adhuc videri poteram? Eho! ſolve ergo argumenta pro contrariis veritatibus a me allata; aut ſi in tanta ſententiarum catena tam parum ſolide ſentio, ut refutari non merear, quæſo te! an ego illas laudum parergas a te vere promereor?

Oro te vero, amice! ad unum ſolummodo vel alterum *argumentum* mihi reſpondeas. Ajo (Dem. Cath. §. 266. not. 1.:), *nec honoris Primatum perpetuum cum ſucceſſione perpetua jure divino inſtitutum nullo argumento vel probabili probari poſſe, ſi neges per illa verba*, TU ES PETRUS, *ſic perſonam Petri a Chriſto deſignari, ut non illi, ſed per illum ceu figuram toti Eccleſiæ, aut Corpori Apoſtolico, & dignitas fundamenti primarii, & claves ſupremæ jurisdictionis, a Chriſto aſſecurentur.*

Oſtendo. In ea hypotheſi, quam ſumis, nihil eo loco perſonæ Petri ſingulare a Chriſto addicitur; quia Petrus mera figura eſt, repræſentans corpus Apoſtolicum: ſecus enim Petro ſingillatim loquens ea Chriſtus, eique ſoli aliquid, quodcunque demum, tribuens, eo ipſo totum, quod ibi tribuit, ſoli Petro tribueret; ac proinde ipſas *claves regni cælorum*; quæ certo

to jurisdictionem in totam Eccleſiam exprimunt. Ergo nec *Primatus* quidem *honoris* ibi Petro ſoli in perſona a Chriſto tribuitur. Evidens Concluſio. Hoc ipſo Argumento Marcus Antonius de Dominis, celeber Apoſtata in Libro ſuo de Rep. Chriſt. refutavit omnem etiam *honoris Primatum* a Chriſto inſtitutum. Pergamus vero.

Atqui nullum aliud, excepto & everſo ſemel loco illo Matth. XVI., *tu es Petrus*, nullum, inquam aliud vel probabile in SS. literis extat documentum, *quod Chriſtus Primatum* quemdam *honoris perpetuum in Eccleſia inſtituerit.* Oſtendo etiam hoc contra ipſum Febronium facillime; qui Primatum iſtum ſolius honoris & auctoritas (poſtquam ſumme inconſequenter illum initio probaverat Cap. II. §. 1. Libri ſingularis ex Matth. XVI. & Joan. XXI.) probat ex eo, quod non modo Evangeliſtæ Petrum ubique inter Apoſtolos primo loco numerent; ſed *primum* Petrum affirment; cujus varias cauſſas afferant Patres, Hieronymum & Chryſoſtomum velle, id *ætati Petri* delatum fuiſſe: *Epiphanium*, *Cyprianum*, *Hilarium*, ideo id factum credere, quia Petrus *primus vocatus* eſt ad Apoſtolatum: *Auguſtinum* & *Cyrillum* ſentire, id Petri præcipuæ in Chriſtum *caritati* tributum fuiſſe. Probat item ex eo, quod etiam poſt mortem Chriſti primum coegerit Concilium; quod Act. II. primus Apoſtolorum Chriſtum annuntiet; quod Act. III. & IV. ſolus, præſente licet Joanne, peroret; Act. XV. iterum congreget Concilium.

Quam vana, quam frivola ſunt argumenta iſta omnia, etſi in ſententiarum catena ſtent; ſi ab illo ex verbis Chriſti, *tu es Petrus*, petito ſe-

ſejungantur! An hæc univerſa vel hilo exprimunt, quam mere perſonalem Perſonæ Petri inter Apoſtolos prærogativam honoris, vel ob ætatem, vel ob primam vocationem, vel ob fidei & caritatis fervorem? An vel probabilis ratio apparet, quod in ea honoris prærogativa officium aliquod Petro competeret, a Chriſto inſtitutum, cum jure illud ad perpetuos ſucceſſores transmittendi? Evangeliſtæ (imo adde, Chriſtus ipſe) perſonam Petri honorant, primo loco inter Apoſtolos nominando, ſive ob ætatem, ſive ob primam vocationem ad Apoſtolatum, ſive ob fervorem caritatis ipſius erga Chriſtum: ergo Primatus honor & officium a Chriſto in Eccleſia cum perpetua ſucceſſione inſtitutus eſt: qualis hæc conſecutio! Petrus primus concilium Apoſtolorum alloquitur; primus Act. II. Chriſtum annuntiat; Act. III. & IV. primus in Concilio perorat: ergo Primatus honoris cum perpetuo officio & ſucceſſione divino jure inſtitutus eſt. Næ tu id genus argumento inaniſſimo convinces Lutheranum aliquem, aut Calviniſtam! Nunquid, quantacunque inter Apoſtolos Petri ex id genus titulis fuerit prærogativa honoris, nunquid idcirco ex id genus perſonalibus titulis jus divinum *perpetui Primatus honoris* in Eccleſia naſci potuit? Affirmate ego iterum iterumque pronuntio: nullum eſſe in univerſis SS. literis vel tenue indicium Primatus alicujus, etiam *ſolius honoris*, a Chriſto in Eccleſia inſtituti; ſi Matth. XVI. per ea verba, *tu es Petrus*, & Joannis XXI. *Paſçe oves meas*, Chriſtus non ſingulariter Petro fundamenti primarii dignitatem & claves regni cœlorum ut officium, ad poſteros in Eccleſiæ bonum perpetuo tranſiturum, aſſecuravit; ſed ſolum, ut volebat olim Febronius in *Libro*

Sin-

Digitized by Google

Singulari, Eccleſiæ, vel Corpori Apoſtolico communiter, ut per Petrum ræpræſentato, omnia locutus fuerit. Quodſi mutata aſſertione fatearis, Petro ea ſingulariter a Chriſto dicta eſſe, ut qualemcunque Primatum ſaltem honoris perpetuo inſtitutum a Chriſto evincas; profecto quod Matth. XVI. Chriſtus ſingulariter Petro cum jure perpetuæ ſucceſſionis promiſit, ac proinde Joan. XXI. per ea verba, *paſce oves meas*, tradidit, non honoris prærogativa, ſed jurisdictio ſuperior eſt. Nam tu ipſe ex iis verbis, quia ſecundum te toti corpori Apoſtolico ſunt dicta, ſupremam jurisdictionem huic corpori competentem evincere te putas. (Vide in Dem. Cath. §. 133. pag. 97. *Ajo II.*) Reſponde ſis, quæſo te, amice! quisquis es, vel ad ſolum argumentum hoc.

Tum vero velim in hypotheſi, quam cum Febronio Libro Singulari adoptare videris, quod videlicet divino jure ſolo Epiſcoporum nullus alteri, ſed ſinguli ſolum toti Collegio, ſubjecti ſint; velim, inquam, claro mihi ut argumento aliquo probes, Græcos hodiedum ſchiſmaticos eſſe, ac errare in fide, dum negant, S. Spiritum a Filio procedere.

Primum quidem, ſcio probe, nullo jam probabili argumento oſtendere te poſſe; maxime ſi Collegium Epiſcoporum, ut tu cum Febronio, librum ſingularem ſcribente, velle videris, liberam habeat poteſtatem etiam honoris Primatum, cui velit, conferendi, & a Sede Romana ad quamvis aliam transferendi. Vide ſis in Libro ſingulari Febronii c. VIII. §. 7. quam inanem hujus argumenti ſolutionem ex Marco Antonio de Dominis mutuarit ipſe Febronius.

Al-

Digitized by Google

Alterum tamdiu quoque probare non poteris, donec probes definite, quot ſuffragia Collegii univerſalis Epiſcoporum convenire inter ſe debeant; quot deeſſe poſſint; ut tamen dogma fidei decretorio judicio definiatur.

Illud quoque velim tu mihi explices, unde orta ſit inferiorum Epiſcoporum erga Metropolitas, & horum adverſus Patriarchas firma illa ſubjectio; ita, ut non ſuo quisque Epiſcopus arbitrio ſolo ab ea rurſus eximere ſe poſſit. Ais enim utique, cum Febronio adhuc ſingulariter ſcribente, jure divino nullum ut Apoſtolum, ita nec Epiſcopum, alteri Apoſtolo, & Epiſcopo, ſubjectum fuiſſe, ſed ſoli quemlibet Collegio Epiſcoporum. Oſtende ſis vero definitionem univerſalis Collegii Epiſcoporum, qua *primo* lege conſtituta ſit conſtans illa Epiſcoporum cujusque provinciæ adverſus Metropolitam, & hujus adverſus Patriarcham, vel Primatem Provinciarum, ſubjectio (Dem. Cath. §. 264. not. 1.). Nicænum I. profecto non conſtituit; ſed conſtitutam jam ante in tribus ſolum Patriarchis, Romano, Alexandrino, & Antiocheno, probavit.

Cum vero id ætatis vix aliqui Germaniæ Epiſcopi fuerint: quis iſtos ad illam ſubjectionem adſtrinxit? Profecto nulla Collegii univerſalis Epiſcoporum lex, ac definitio. Quis ergo? An conſenſus ipſe provincialium, eligentium Metropolitam & Patriarcham aliquem? An ergo & conſenſus iſte anteceſſoris lex eſt pro Epiſcopo in eadem Sede ſuccedente? Unde? Quonam jure divino? Quanam ex lege Collegii univerſalis Epiſcoporum? ubi conſignatum literis jus illud divinum, aut lex iſta

Con-

Concilii generalis? Vide ſis, quam periculoſa ſit legis fundamentalis a Chriſto latæ illa aggreſſio! quam certa exinde ruina pacis totius Eccleſiæ Chriſti imminent! Enimvero nimis periculoſa, nec fidei profecto conſonans aſſertio eſt, quæ ſingulos ſaltem Apoſtolos S. Petro, ac ſingulos ſaltem Epiſcopos S. Petri Succeſſori, vere ſubjectos eſſe inficiatur.

Equidem nullum Epiſcopum catholicum, etiam ipſius Galliæ, ſcio, qui vel tibi, amice, ſiquidem vere ita ſentis, vel Febronio adhuc ſingulariter ſentienti, adſtipulentur; cum omnes illi, etiam qui forte Concilia generalia ſuperiora eſſe Pontifice Romano tenent, tamen ſingulos ſaltem Epiſcopos Primati Eccleſiæ ac S. Petri Succeſſori jure divino ſubjectos eſſe palam profiteantur, atque inter illos ipſe Doctiſſimus Boſſuetus. Et vero optem ego, ſemper probe diſtinguerent Epiſcoporum illuſtriſſimorum Galliæ ſenſa a doctrinis privatorum hominum & doctorum ejusdem Galliæ; quicunque auctoritatem totius Galliæ tam ſeçure opponunt Primatis Eccleſiæ jurisdictioni divino jure conſtitutæ.

Atque hæc quidem dicta omiſſis aliis pluribus ſufficiant, ut intelligas, amice! nequaquam defuiſſe Febronio graves retractandi rationes; nec puſillorum ſcandala ſolum fuiſſe, quæ ex illius Libro Singulari naſci poterant. Bona, imo optima, ut ais, intentio mentis illum ad ſcribendum librum illum ſingularem incitaverit; videlicet Zelus, ut ipſe in Revocatoria ad SS. D. N. Pium VI. declarat, Proteſtantes catholicæ Eccleſiæ & Sedi Apoſtolicæ reuniendi: attamen ea fundamenta ac principia præſtituere

ſan-

tanquam media fini propoſito conſequendo, quæ primo & ſecundo Capite Libri ſingularis continentur, profecto, nec opus ad hunc finem re ipſa conſequendum fuerat, nec conſultum.

Regulæ generales, quas Sect. I. Cap. VII. Dem. Cath. propoſui, & quæ ibidem Sect. II. Cap. X. Art. V. de mediata ſolum Primatis Eccleſiæ jurisdictione trado, fini optime quidem a Febronio intento pleniſſime ſufficiunt; ita, ut pleraque, quæ in reliquo decurſu Libri Singularis ſubinde utiliter admonuit, & optavit, vel ex ſolis iſtis principiis, a me ibidem traditis, abunde inferantur; quin ipſa fundamenta regiminis Eccleſiæ, ab ipſo Chriſto tam præclare conſtituta, aggredi, & concutere, neceſſe fuerit.

Sed jam, quid ſingillatim tibi, Amice, in Retractatione Febroniana diſpliceat, & quo jure, diſpiciamus.

CAPUT I. REFLEXIONUM
DE CLAVIBUS ECCLESIÆ.

In ipſo ſtatim revocationis ſuæ initio hallucinari Febronium, gravi expreſſione ſtatuis, *ab extremo uno delatum in aliud. Prius illum in libro ſuo ſingulari claves regni cœlorum a Chriſto univerſæ tantum Eccleſiæ datas, & per eam primum Romano Pontifici communicatas defendiſſe. Nunc easdem claves ſoli Petro traditas adſerere, & per Petrum demum Eccleſiæ relictas.* Tum vero adverſum hæc ita arguis: *Si Apoſtoli eorumque Suc-*

Succeſſores Epiſcopi ſuam regendi poteſtatem per Petrum accepere, neſcio, quommodo eodem loco dici a Febronio poſſit, Apoſtolis & Epiſcopis ſuam poteſtatem eſſe a Chriſto commiſſam &c. &c.

Heus vero, amice! quid dicas, attende! Ubinam, edic, retractans Febronius dicit, *Apoſtolos, eorumque Succeſſores Epiſcopos, ſuam regendi poteſtatem per Petrum accepiſſe? Profiteor inprimis*, inquit, *& agnoſco cum Tournelio, claves Eccleſiæ, & uni Petro, & Unitati ſimul a Chriſto conceſſas eſſe, ita, ut unum aliud non excludat. - - Scilicet claves datæ ſunt uni Petro, quatenus ille Primatum & regiminis poteſtatem accepit a Domino, idemque Perſonam totius Eccleſiæ, ceu ſupremus ejusdem ſub Chriſto Rector, ac Moderator, gerebat. Datæ ſunt quoque Unitati, id eſt, in bonum Unitatis, & Petro præcipue, ut dictum eſt, & aliis etiam Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus Epiſcopis, quibus docendi, ac regendi miniſterium & poteſtas, ſecluſa plebe, commiſſa ſunt in verbis:* Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos. - - Quorum remiſeritis &c. Euntes docete omnes gentes &c.: *attamen cum dependentia a Petro, & cum ſubordinatione ad ipſum.* Huc uſque retractatio Febronii; quæ tota integre & Tournelii doctrinæ, & meæ, ad amuſſim conſentit; qui tamen uterque tenemus, Apoſtolos quoque & eorum Succeſſores Epiſcopos ſuam regendi poteſtatem immediate a Chriſto, & non per Petrum, accepiſſe.

An retractans Febronius aliud toto illo decurſu dicit, quam quod *S. Cyprianus* Lib. de Unit. Eccl. prope initium dicit: SUPER ILLUM UNUM (Petrum) *ædificavit Chriſtus Eccleſiam*

 ſuam

ſuam (ſcilicet Matth. XVI.) *& illi paſcendas oves ſuas mandavit* (nempe Joan. XXI.). *Et quamvis Apoſtolis omnibus* (alio ſcilicet tempore & loco) POST RESURRECTIONEM *ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater &c. &c.; tamen ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.*

An aliud, quam *S. Hieronymus* L. I. in Jovin. ſcribens: *Super Petrum fundatur Eccleſia; licet id ipſum* IN ALIO LOCO *ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti accipiant.* An non idem, ac *Theophylactus* in Matth. XVI. 18.: *licet ad Petrum tantum dictum ſit* ILLUD: Tibi dabo claves &c.: *tamen omnibus Apoſtolis* ALIAS *datum eſt, quando dicit: quorum remiſeritis &c.*

Profitetur itaque retractans Febronius, & ego vir ille ſingularis cum illo, contra Librum ejusdem Singularem: *claves*, id eſt, ſuperiorem quamdam in omnes oves, etiam Apoſtolos, poteſtatem, & Jurisdictionis primatum, a Chriſto Matth. XVI. & Jo. XXI. 15. ſoli Petro immediate promiſſum, ac datum fuiſſe; licet alibi ſubordinata poteſtas regendi Eccleſiam ſub Petro omnibus Apoſtolis poſt reſurrectionem Joan. XX. 21. itidem quidem immediate a Chriſto tradita fuerit. Non tamen *claves* etiam illas Petro, ut perſonæ privatæ, ſed publicæ, atque adeo ex præcipuo fine utilitatis publicæ, unitatis nempe Eccleſiæ, a Chriſto traditas fuiſſe, ita, ut ſublato etiam e vivis Petro in Eccleſia permanerent, & ad Succeſſores Petri perpetuo tranſirent, ceu unitatis in Eccleſia Chriſti ſemper conſervandæ unicum medium. Atque hoc ſenſu claves traditæ ſunt Petro, & unitati Eccle-

cleſiæ; item *Petro & per eum Eccleſiæ*, ut loquitur Tertullianus. Vel ut *S. Auguſtinus* Tract. 124. in Joan. ait: *Eccleſia claves regni cælorum accepit in Petro; cujus Eccleſiæ Petrus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam.* Vere enim tota Eccleſia *claves per Petrum* accepit; cum a Chriſto perpetuus clavium poſſeſſor in bonum Eccleſiæ eſt inſtitutus, initio facto in perſona Petri.

Vides ergo, vitilitigium eſſe, quod toto Capite primo retractanti Febronio moves; qui nuſpiam negat, Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Epiſcopos, poteſtatem regendi & docendi immediate a Chriſto accepiſſe; ſed iſtud ſatis præciſe affirmat potius factum eſſe per illa verba: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Nec jure te offendere potuit, quod in Retractatione ſua Febronius cum *S. Optata* diceret, S. Petrum *claves communicandas ceteris ſolum accepiſſe.* Nam & hoc veriſſimum eſt, ſalva immediata Apoſtolicæ jurisdictionis origine a Chriſto: quia ſolus Petrus ſuperiorem in ipſos Apoſtolos eorumque Succeſſores Epiſcopos poteſtatem a Chriſto accepit; non ut ſemper & ubique ipſe eam in perſona propria exerceret; ſed ut communicaret aliis, Patriarchis ex. gr. & Metropolitis, aliiſque delegatis in provinciis; ubi de ipſis Succeſſoribus Apoſtolorum judicium ferendum occurreret.

Quam autem levia illa ſunt, quæ porro ex *S. Cæleſtini I.* & *S. Gregorii* Epiſtolis affers, ut probes, *claves univerſalis* quoque Eccleſiæ (id eſt, jurisdictionem in omnes fideles; hanc enim univerſa emphaſi ſua *claves* ſignificant) ſingulis Epiſcopis immediate a Chriſto datas fuiſ-

 ſe.

ſe. *Docendi munus æqualiter omnibus Epiſcopis datum eſſe*, ait S. Cœleſtinus, *ſecundum verba* (Chriſti) *ad Apoſtolos dicta: ite, & docete univerſas gentes.* Quis hoc noſtrum negat, cuilibet Epiſcopo, ſicut cuilibet Apoſtolo, obligationem & poteſtatem incumbere docendi, imo & judicio adhæſionis publico ad ſententiam Petri concurrendi, ut fideles univerſi intelligant, decretoriam eſſe ſententiam, & authenticam doctrinam? Num vero exinde etiam plena jurisdictio cum vi coactiva in omnes fideles cuivis Epiſcopo *ſeorſum* competit? Si ita eſt, etiam nondum loquente Petro, cuivis extraneo Epiſcopo, ſicut proprio, virtute juris divini, obedire, ab eo leges & jus accipere fidelis quisque in omni cauſſa ſacra tenebitur (Dem. Cath. §. 287. ſeq.). In quo neſcio an facile doctus aliquis tibi adſtipuletur. At enim tu ipſe tui oblitus Cap. III. pag. 13. citas hæc S. Cypriani verba: *Sua Gregis pars cuivis paſtori aſſignata, quam regat, & de ea DEO rationem reddat.*

Ex *S. Gregorii* Epiſtola ad Eulogium, quidquid elaboras, aliud non exſculpes, niſi illum probe memorem fuiſſe illius regulæ: *reges gentium dominantur eorum; vos autem non ſic: ſed qui major eſt inter vos, fiat ſicut minor*: cujus paraphraſin dedi in Dem. Cath. §. 163. & ſeqq., tum vero *S. Gregorium M.* non ſe crediſſe immediatum omnium fidelium Epiſcopum & Superiorem, ſed ſolum mediatum (Dem. Cath. §. 286. n'. 4.). At enim hanc de univerſali Epiſcoporum quorumlibet in omnes Eccleſias jurisdictione opinionem jam plane, nî fallor, refutavi in cit. Dem. Cath. §. 194. Nihil ergo ſolide Retractationi Febronianæ in primo

Ca-

Capite Reflexionum tuarum uſpiam opponis, Amice!

CAPUT II. REFLEXIONUM DE PRIMATU, ET EJUS EXTENSIONE.

Hic Febronium in extenſione Primatus Jurisdictionis, quem nunc agnoſcit, poſtquam prius negaverat, verbis valde ambiguis & æquivocis ludere in ſua Retractatione dicis. Diſplicent inprimis illa verba Febronii retractantis: *Ubi eſt Petrus, ibi Eccleſia.* Quæ a Febronio eo ſenſu dicta fuiſſe vis, ut vox *ſolius* Petri jam ſit vox totius Eccleſiæ: *de quo ſenſu*, ais, *dubitare non ſinunt ea, quæ ſtatim* in eadem revocatione *ſubdit Febronius*, *Pontifici ſcilicet competere poteſtatem in univerſalem Eccleſiam, ipſum eſſe* Os *& Principem Apoſtolici cœtus, & ſummum judicem controverſiarum fidei & morum &c.:* hæc denique omnia *eo collimare, ut illa de Pontificia infallibilitate ab omni Epiſcoporum conſenſu independente ſententia reſuſcitetur.* Inprimis oro te rurſum, amice, ut videas ipſe, cui indigneris. *B. Petrum Principem Apoſtolorum* vocat in Decreto Unionis *Florentinum Concilium* conſentiente græca ſimul & latina Eccleſia, &, *Romano Pontifici B. Petri ſucceſſori in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi Univerſalem Eccleſiam a D. N. J. Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*, definit. An ergo & Florentinum hoc Concilium, plane œcumenicum ex omnibus adjunctis, eo collimabat, ut illa de Pontificia infallibilitate ſententia reſuſcitaretur? An po-

Digitized by Google

poterat ſecurius retractationem ſuam formare quam utendo conceptis verbis tanti Concilii? *Os* denique, *Principem*, *& verticem Apoſtolorum* appellat S. Petrum *D. Chriſoſtomus* hom. 87. in Joan. Quam itaque aërem tu verberas, qui hæc Febronii retractantis verba in invidiam vertis, ac per ea exoſam illam videlicet ſententiam de ſolitaria Pontificis Romani infallibilitate reſuſcitari fingis. Quodſi vero hac de re etiam vel cogitaſſet Febronius in ſua retractatione (quod equidem in eo ſenſu, quo tu id illi objicis, falſum plane exiſtimo) quam inanibus argumentis illum tu refutas.

Inprimis nuſpiam ergo in Retractatione Febronii illud a te hic tam ſollenniter exploſum lego: *vox* SOLIUS *Petri eſt vox totius Eccleſiæ.* Bene vero illud rectiſſime dictum invenio: *ubi eſt Petrus, ibi eſt Eccleſia.* Quibus verbis retractans Febronius optime exprimit illud, quod ego in Dem. Cath. §. 159. oſtendi, videlicet fieri vi promiſſionis a Chriſto Domino factæ non poſſe, ut vel fundamentum Eccleſiæ Petrus a tota Eccleſia, id eſt, ab omni Epiſcoporum cœtu, aut tota Eccleſia, id eſt, univerſus Epiſcoporum cœtus, a Petro, fundamento ſuo, unquam in cauſſa fidei ſeparetur: quæ vel ſola theſis rite explicata probat evidenter, quam inanis ſit illa tam acriter agitata lis: an Pontifex Romanus ſe ſolo, id eſt, ſi ſolus judicet, aut contra cœtum univerſum Epiſcoporum docendo ſtet ex oppoſito, infallibilis ſit: cum nec poſſibile ſit, ut fundamento ſuo non inædificata Chriſti Eccleſia ſtet.

Jam

Digitized by Google

Jam vero hoc principio licet irrefragabili a me conſtituto, nihilominus ipſe in Dem. Cath. oſtendo, Epiſcopis judicium definitivum, competere; non modo in legibus ferendis (Dem. Cath. §. 279.), ſed & in cauſſis fidei (ibid. §. 266. not. 3.); maxime autem in cauſſis Epiſcoporum, quæ circa factum ex. gr. hæreſin, vel aliud crimen verſantur (ibid. §§. 256. 257. ſeqq.). Hoc vero ſemel conſtituto, quæſo, quid allata a te duo illa exempla Epheſini & Chalcedonenſis Concilii probant? Certe reſpondere aliquid contra doctrinam a me locis modo citatis propoſitam oportuerat, ſi a me diſſentis; aut me, in præcipuis omnibus cum retractante Febronio ſentientem, non cum laude viri ſingularis adverſus illum allegare.

Equidem rem omnem ſic concipio. In omni *cauſſa fidei* exorta Succeſſoris S. Petri eſt primum curare, ut ipſe officium perſonale generalis omnium ovium paſtoris docendo publica voce veritatem impleat, & fundamentum ceteris ſe præbeat. Tum vero, quia hoc fieri niſi mediantibus Eccleſiæ ceteris voluminis, Epiſcopis videlicet Apoſtolorum Succeſſoribus, non poteſt; quorum eſt auctoritate immediata oves quemque proprias de paſtoris univerſalis ſententia, ceu promulgatione authentica, edocere: idcirco recte ſummus Pontifex aut conciliorum convocatione, aut ſententiæ a ſe latæ miſſione ad diſperſos per Eccleſiam Epiſcopos, hos veluti ſecundaria *fundamenta Eccleſiæ in fidem ſuam recipere*, id eſt, ad conſenſu ſuo firmandam ſententiam ſuam, & promulgandam immediate ſubjectis ſibi ovibus, adducere ſatagit: qui Epiſcopi priusquam pro auctoritate ſua immediata ſubditis ovibus ſuis judicia ſummi Paſtoris promul-

mulgent, utique judicio prævio (non auctoritatis in ſummum Paſtorem, ſed *adhæſionis*) examinare debent, quale ſit ſummi Paſtoris judicium; an in cauſſa fidei; an in cauſſa perſonali, an in cauſſa legis novæ primum ferendæ. Jam quovis in caſu, quo de cauſſa fidei agitur, ajo, fieri quidem poſſe, ut etiam Epiſcopi aliqui a definiente Petro diſſentiant (cum utique ſinguli errare poſſint) ſed fieri non poſſe virtute promiſſionis JESU Chriſti ut a fundamento Petri *omnes* ſe ſeparent. Quodſi ergo tamen aliqui ſe ſeparent, alii autem eidem ſe uniant: tum vero, ſiqui adhuc ſint, quicunque, ſeu oves, ſeu paſtores, qui de eadem cauſſa fidei dubitent, id illos omnino concludere cum S. Hieronymo debere, niſi errare velint, quod Febronius retractans profitetur: *ego cathedræ Petri communione* (doctrinæ fidei) *conſocior*: *Siquis cathedræ Petri jungitur, meus eſt*: idque ex hoc irrefragabili argumento: quia extra fundamentum, cui Chriſtus eam inædificavit, firmiter adverſus inferorum portas conſtare Eccleſia Chriſti non poteſt. Jam, quod modo dixi, S. Cœleſtinus I. in Epheſino, & S. Leo M. in Chalcedonenſi convocando Concilio, & fecit, & propoſitum habuit; & fecere Epiſcopi ad ea Concilia congregati. Aut quid amplius demum? Quid ergo adverſum nos ex actis utriusque Synodi iſtius concludis? Illud quoque largieris utique facile, Epiſcopos ſaltem vulgo in id genus Conciliis magis ſollicitos eſſe de ſua auctoritate oſtentanda, quam de celebranda prærogativa Primatis: ſapientis vero Vicarii JESU Chriſti viciſſim potius eſſe, relinquendo ſplendorem ſubordinato judici, blande illum ad cauſſæ juſtitiam defendendam, ſuoque calculo fir-

firmandam Primatis ſententiam, invitare. Hoc unum fecit S. Leo M., quem fuſe allegas.

Quæ porro de *Toletanæ Synodi* Hiſpanis Patribus affers, quod Conſtantinopolitani tertii generalis Concilii auctoritatem, ad quod ipſi invitati non fuerant, recipere tamdiu noluerint; donec Leo II. Papa illius Acta, a ſe confirmata, ad ipſos transmitteret: quid, quæſo, iſtud probat? an Conſtantinopolitanæ illius generalis Synodi ſententiam in cauſſa fidei, a Leone II. confirmatam, ante aſſenſum Patrum illorum Hiſpanorum infallibilem non fuiſſe? Quidſi diſſenſiſſent iſti omnino? quid S. Hieronymus reſponderet? Nunquid illud denuo? *ego cathedræ Petri conſocior; ſiquis huic jungitur, meus eſt.* Interim recte Patres illi Hiſpaniæ pro immediatæ ſuæ jurisdictionis officio Acta etiam generalis Concilii ſibi inſpicienda communicari petierunt prius, quam ſuis ſubditis fidelibus pro officio authentice promulgarent.

Denique adducis *S. Auguſtinum* in Epiſt. 43. olim 162. Donatiſtis, de judicio S. Melchiadis Papæ conquerentibus, reſpondentem: *Ecce! putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos fuiſſe judices. Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Univerſæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſſa poſſet agitari, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.*

Faſſus jam ego ſum in Dem. Cath. §. 176. not. 1., difficiliora quædam dicta *SS. Cypriani* & *Auguſtini* extare circa *ſupremam* Papæ auctoritatem in Eccleſia: ſed & addidi ibidem in adnot. 2., pugnantia ſubinde ab utroque illo S. Doctore proferri in quæſtione, ſolum inciden-

Digitized by Google

ter tunc ab ipſis attacta; *Cyprianum* quidem ex æſtu acrimoniæ in S. Stephanum Papam; *Auguſtinum* ſtudio excuſandi S. Cyprianum, maximum ceteroquin Africanæ ſuæ Eccleſiæ lumen, & Martyrem beatum ejusque auctoritatem eripiendi Donatiſtis, qui ſchiſma ſuum Cypriani exemplo maxime excuſabant. Quid enim? *Cyprianus* putarit, liberum ſibi, vel alteri cuivis Epiſcopo eſſe, a communione doctrinæ fidei Romanæ cathedræ recedere? Cur ergo adhuc pacata mente tam rotunde alibi pronuntiat Lib. VI. epiſt. 9. (Edit. Eraſmi): *qui cathedram Petri, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe non confidat?* Et ibid. Epiſt. 8. ad S. Cornelium Papam ſibi amiciſſimum ſcribens: *Nos*, ait, *ſingulis navigantibus, ne cum ſcandalo ullo navigarent, rationem reddentes, ſcimus, nos ſingulos hortatos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent, & tenerent. - - Placuit, - - ut per omnes omnino Provinciæ noſtræ Epiſcopos literæ fierent, ut te univerſi Collegæ noſtri, & communicationem tuam, id eſt, Eccleſiæ Catholicæ Unitatem pariter & caritatem, probarent firmiter, ac tenerent.* Vide Dem. Cath. §. 157.

Similiter *S. Auguſtinus* nonne decretorium in quavis cauſſa fidei Romani Papæ judicium omne palam non ſemel pronuntiat; quo is cum paucorum (comparate ad omnes) Epiſcoporum numero ſententiam pronuntiat. Nunquid abſolute ſcribit L. II, c. 3. contra duas Epiſt. Pelag.: *per Papæ reſcriptum cauſſa Pelagianorum finita eſt, totoque orbe poſt ejus damnationem damnati ſunt, ac literis Innocentii tota de hac re dubitatio ſublata eſt.* Et in Serm 2. de verbis Apoſtoli: *jam enim de hac cauſſa* (Pelagii) *duo Conci-*

Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt, cauſſa finita eſt: utinam etiam error finiatur. In Epiſt. 157. *in verbis apoſtolicæ Sedis*, inquit, *tam antiqua, atque fundata, certa, & clara catholica fides, ut nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano.* Hæc Auguſtinus ſcribit de judicio Papæ in cauſſa fidei indubitato. At cauſſa Cæciliani, ex qua ortum ſchiſma Donatiſtarum, & de qua judicaverat S. Melchiades Papa *cum Synodo Romana*, non erat cauſſa fidei; ſed facti quæſtio mera; an videlicet legitima eſſet electio & ordinatio Cæciliani in Carthaginenſem Epiſcopum. In hac uti errare æque Romanus Pontifex ac quodvis Concilium poteſt, ita tenente recte eodem Auguſtino in eodem opere de Baptiſmo L. II. c. 3. *ipſa plenaria ſæpe Concilia prioræ poſterioribus emendari* poſſunt, & debent; *cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat*: quin propterea de infallibilitate iſtorum Conciliorum in cauſſis fidei catholicus quis dubitet. Vide hac de re jam tradita a me in Dem. Cath. §§. 256. 257. 258. Rurſus itaque parum ſolide in hoc ſecundo Capite Reflexionum tuarum arguis Febronium ſapienter retractantem.

CAPUT III. REFLEXIONUM.

DE APPELLATIONIBUS AD SEDEM ROMANAM.

Diſplicet tibi hoc de argumento retractans Febronius, quod *in quibusvis cauſſis Eccleſiaſticis hodie* legitime & *communiter* appellari ad ſummum

mum Pontificem profiteatur; & hunc uſum fundari dicat in ſuprema poteſtate in univerſa Eccleſia ſummæ Sedi *divinitus* tradita. Ex quo infers, parum abeſſe, quin appellationes Romanæ Sedi ex jure divino videatur vindicare Febronius.

Equidem non dubito, quin, appellationem ab inferiori tribunali Epiſcoporum ad ſuperius tribunal ſucceſſoris S. Petri, ex gravi aliqua cauſſa interpoſitas, *in genere* fundari in jure divino, retractans Febronius credat: etſi ſatis clare profiteatur, modum hunc *in ſpecie* appellandi in *quibusvis* cauſſis Eccleſiaſticis, non ad Synodos Provinciales, ſed immediate ad Summum Pontificem, tum Romæ per judices ordinarios ibidem conſtitutos, tum per Delegatos in partibus judicantem, ad diſciplinam variabilem, & actu pro diverſitate temporum, locorum, & Concordatorum variatam, pertinere: etſi præſentem appellandi in omnibus cauſſis modum legitimo uſu invaluiſſe teneat. Hoc totum enim vel ipſa Febronii verba in Retractatione ſatis dilucide innuunt.

At enim quam levi, quam inani argumento tu Febronium, ex jure divino vindicantem Appellationes illas *in genere*, refutas, amice! Sic tu quidem arguis: Epiſcopi *jure divino* Eccleſiarum ſuarum *paſtores*, atque adeo & *judices* ſunt: ergo jure divino appellatio in quavis cauſſa ab eorum judicio permiſſa eſſe non poteſt. Ego ſane ſolidiora a te expectaſſem.

Videris enim in Capite primo Reflexionum tuarum per ea verba (*Nunquid quia Chriſtus immediate Petrum tanquam Eccleſiæ fundamentum*

con-

conſtituit, erronea fuit prior Febronii ſententia, quod Pontifex ſuum Primatum jurisdictionis immediate ab Eccleſia, & mediate tantum a Chriſto habeat) videris, inquam, plane ipſe admittere Primatum jurisdictionis *jure divino* inſtitutum eſſe. Hoc autem ſemel conſtituto, an non omnis ratio ſuadet ſic potius ratiocinari. Succeſſor S. Petri jure divino judex ſuperior eſt univerſe conſtitutus omnium inferiorum judicum & paſtorum Eccleſiæ: ergo jure divino conſtitutum eſt, ut poſſit ad ipſum ab omnium Epiſcoporum judicio appellari. Nunquid pag. 17. cap. 4. Reflexionum tuarum ex eo appellationes a Papa ad generale Concilium decretorie te probare credis, ſi probes, univerſalem Eccleſiam Romano Pontifice eſſe ſuperiorem? *Ab inferiore ad ſuperiorem appellari poſſe*, inquis, *aliunde confecta res eſt.* Quorſum enim alias ſervit ſubordinatio diverſorum judicum & jurisdictionis inferioris ad ſuperiorem; niſi ut, errante quocunque in judicio judice inferiore, error a ſuperiore, ad quem ſecundum judicium idemque altius pertinent, ſive ex proprii officii obligatione, ſive ex appellatione partis ab inferiore judice læſæ, corrigatur, & emendetur? An opus erat, ut tu quidem dicis, ut Chriſtus jus appellandi claris verbis determinaret? An vero in ipſa inſtitutione altioris jurisdictionis, quam Petro conceſſit, evidentiſſime continetur? Quæſo relege ea, quæ de inferiore & ſuperiore, de ſubordinata & ſuprema jurisdictione, in Dem. Cath. §§. 34. 35. 37. 133. & 264. tradidi.

Ais porro, nec ullum in Actis Apoſtolorum recurrere veſtigium, quod unquam fideles laici, vel clerici, a judicio cujusdam Apoſtoli, aut

Digitized by Google

aut Epiſcopi ab Apoſtolis conſtituti, ad tribunal S. Petri provocaverint. Quam rurſum arguis inaniter. An vero in Actis occurrit aliqua appellatio omnino, etiam ad Synodum diœceſanam? An idcirco appellatio omnino nulla erit jure divino permiſſa ab Epiſcopi judicio? Age vero, argumento meo reſponde, quod in Dem. Cath. §. 264. not. 1. propoſui contra eos, qui Synodis provincialibus ſine interventu auctoritatis Succeſſorum S. Petri ſummam deferunt in cauſſis Epiſcoporum poteſtatem.

At S. Cyprianus Novatianorum ad S. Cornelium Papam appellationem improbat. Demus hoc interim: ſed S. Auguſtinus in Epiſt. 43. S. Melchiadem in ſimili cauſſa (NB. cum nondum Sardicenſes canones Africana Eccleſia vidiſſet; quippe quos incidente cauſſa Apiarii a. 418. adhucdum ignorabat) recte a Donatiſtis appellatum judicem agnovit. Et nunquid, ſi verba Cypriani tam ſecundum apices ſummos, etiam Concilii plenarii extra Africam judicium illa ex æquo rejiciunt? quod tamen etiam poſt S. Melchiadis judicium adhuc conceſſum iri Donatiſtis Auguſtinus declarat; ſi a ſchiſmate vellent abſtinere. An contrarius idcirco Cypriano Auguſtinus? Minime vero. *Cyprianus* in petulantem & aperte iniquam Novatianorum appellationem, meris mendaciis ſuffultam, paullo acrius invehitur, atque illam ſervari *diſciplinam* vult, quæ jam introducta in Eccleſiam inde a temporibus Apoſtolorum non ſine interventu S. Petri una cum ipſa Metropolitica poteſtate & dignitate fuerat, ut Epiſcoporum cauſſæ in Metropolitarum Synodis judicentur (Dem. Cath. §. 202.): quæ diſciplina ſine graviſſima cauſſa nec a Primate Eccleſiæ, minus vero ob tam

teme-

temerariam appellationem Novatianorum, mutanda erat (ibid. §. 258.). Ex adverſo *S. Auguſtinus*, obſtinatis in Schiſmate Donatianis omnia remedia enumerat, quæ ipſis ſumma Eccleſiæ indulgentia etiam præter communem ordinem permittere poterat.

Quidquid de *Sardicenſi Concilio* addis, arbitratu tuo dicis; videlicet, quod *rem novam, libero in arbitrio* illorum Patrum poſitam, *ſoli* quidem Pontifici *Julio* conceſſerint: quibus abunde reſponſum ab aliis pridem, & a me ipſo eſt in Dem. Cath. §. 264. not. 5.; quin novi tu aliquid contra afferas. Illud oro te ſolummodo, ut in tuo ſyſtemate nobis probes, quanam auctoritate mere occidentales illi Epiſcopi, qui Sardicenſi illi Synodo interfuere, novam legem, vel maxime Orientales Epiſcopos obligaturam, ſtatuere potuerint; cum illis ſeptuaginta ſex orientales Epiſcopi, Philippopolim ſecedentes, palam repugnarent; & Epiſcopos Sardicæ congregatos vice verſa una cum Julio Romano, ceu *Principe & duce malorum*, damnarent. Illud tamen verum tu dicis, Sardicenſe unice loqui *de cauſſis Epiſcoporum*. At enim nec Febronio incidit ex Sardicenſi Concilio probare, appellationes ad Romanam Pontificem *in cauſſis quibusvis* admittendas eſſe.

Notes velim, mecum Febronium de hoc ita ſentire: appellationes in genere juris divini eſſe ex æquo, atque ipſum Primatum jurisdictionis. Quo uſque, aut qua moderatione hoc jus exercendum ſit, regulæ Cap. VI. Dem. Cath. a me explicatæ in genere præſcribunt: in ſpecie earum applicationem prudentia & moderatio determinant. Unde variis temporibus

bus amplior, vel reſtrictior, earum eſſe uſus poteſt.

Febronius id ſolum addit *partim ad factum pertinens*, videlicet præſente uſu invaluiſſe, ut in quibusvis Cauſſis Eccleſiaſticis ad Summum Pontificem appelletur; *partim* etiam *pertinens ad jus*; nempe hunc *uſum legitimum* eſſe: quibus verbis ſolum illud ſupponit, nunc rerum talia adjuncta eſſe in Eccleſia (fortaſſis propter Synodos Provinciales non ſine prudenti aliqua cauſſa abolitas) ut ſecundum prudentiæ ac moderationis leges uſus illius amplitudo probanda videatur. Amplius ſiquid aſſerere Febronii retractatio tibi videatur, probatio tibi incumbet. Quæ ex reſponſo *Rhemenſis Concilii* ad Pontificem directo addis, univerſa non jus appellandi ullo pacto attingunt; ſed modum judicii appellatorii a Pontifice exercendi; nec ullo in apice ab iis diſſentiunt, quæ ipſe ego in Dem. Cath. §§. 164. 264. circa moderationem exercendi illius juris conſtitui.

CAPUT IV. REFLEXIONUM.

DE APPELLATIONIBUS A PAPA AD CONCILIUM UNIVERSALE.

Quam multa rurſum iſthoc loco, amice, arbitratu tuo ſtatuis; quam multa ſecuritate ſumma ex leviſſimis argumentis concludis.

Gelaſii utique *Sancti* Papæ dictum, a Febronio retractante citatum, quia tibi apertiſſime adverſum eſt, leviſſime explodis. *Sylveſtri II.* di-

dictum, quia tibi ſavere videtur, una cum illius ſanctitate omnem in modum exaggeras. Innuis deinde callide, S. Gelaſium Leoni magno contradicere: & nihili habes, Sylveſtrum II. Gelaſio contradicere; ſi e mente tua intelligatur. Hoc arbitratu profecto agere eſt.

Primo autem vide, quam leviter concludas ex eo, quod in cauſſa Neſtorii, Pontificiæ damnationi acquieſcere non volentis, Epiſcopi catholici Imperatorem interpellarint, ut Concilium generale Epheſinum congregaret, Ubi mirabiliter ſane ſupponis, Catholicos Epiſcopos a Papa ad Concilium pro Neſtorio appellaſſe.

Secundo vide, quam æque improvide concludas ex eo, quod Eutyches a Leone M. Papa appellans ad univerſale Concilium, illud tam a Pontifice obtinuerit, quam ab Imperatore. Mirum! tu argumento in rem tuam ſolidiſſimo ſervire illud judicas, quod Leo Papa convocationem talem omnino neceſſariam judicarit, addita ratione, *quia appellatum eſt:* Putas ergo, aut veriſimile judicas, S. Leonem M. credidiſſe, Eutychetem conformiter divino juri appellaſſe?

Atqui S. Leo, tam in Epiſtola, quam mox ab accepto nuntio de convocata ab Imperatore Synodo Epheſina (illa *Latrocinali*) tum ad Flavianum Patriarcham Conſtantinopolis, tum ad ipſum Theodoſium Imperatorem, dedit, aperte declarat, *evidenter apparere, rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu;* &, *cum tam evidens fidei cauſſa ſit, ut rationabilibus cauſſis ab indicenda Synodo fuiſſet abſtinendum;* nihilominus, *quia clementiſſimus Imperator*

Digitized by Google

rator pro Eccleſiæ pàce ſolicitius Synodum voluit congregari, ſignificat, ſe legatos ſuos Epheſum deſtinaſſe. Interim ſatis ex ſcripto tuo apparet, amice! te verba S. Leonis Magni ex ejus Epiſtola 16. alias 4. non in fonte inſpexiſſe; ſed exſcripſiſſe ex inepto illo Fleurianæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, gallico idiomate ſcriptæ, verſore; qui qui verba Patrum Latinorum ex Gallico Fleurii textu vertere potius verbo tenus voluit, quam genuina ipſa *Patrum latinorum* verba in opere latine ſcripto ex relectis fontibus reſtituere, quæ gallice ſolum Fleurius dederat. Verus autem S. Leo latinus ſic habet: *Omnes partium noſtrarum* (non *Italiæ*) *Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lacrimis ſupplicant Sacerdotes, ut, quia & noſtri* (legati nempe Pontificii) *fideliter reclamarunt, & eiſdem* (legatis) *libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari. - - Quam autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſarié poſtuletur, Canonum Niceæ habitorum decretá teſtantur; quæ a totius mundi Sacerdotibus conſtituta, quæque ſubter annexa ſunt.*

Adverte *inprimis*, amice! non de Eutychetis appellatione a Papa ad Concilium Generale hæc dici, ſed de Appellatione Flaviani Patriarchæ a Concilio Epheſino Latrocinali ad Papam, qui *libellum appellationis* idcirco legatis Leonis Magni Papæ, item contra violentiam Dioſcori Alexandrini reclamantibus, *dedit*. Unde conformiter huic appellationi S. Leo vota omnium Catholicorum Epiſcoporum, qui *a partibus* S. Leonis ſtabant (non ſolius Italiæ ait, ſed *omnes Sacerdotes partium* ſuarum) & ejus Epiſtolæ ad Flavianum adhærebant, qua Eutychetis errorem

rorem jam damnaverat, Imperatori proponit, queis illi exoptent, appellationem iſtam etiam a Cæſare admitti: quod ut eo certius Imperatori perſuadeat, ipſos Nicænos (haud dubie *Sardicenſes*) Canones illi ob oculos ponit, ut de rectitudine appellationis illum convinceret. Siquidem Canon VII. Sardicenſis hæc ipſiſſima habet: *Placuit, ut, ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & omnes judicaverint congregati Fpiſcopi regionis illius, & de gradu ſuo eum dejecerint: ſi appellaverit, qui dejectus videtur, & confugerit ad BB. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum* (quare non apponitur nomen *Julii I.*, ſi huic ſoli perſonale confertur privilegium, ut tu vis: certe S. Leo etiam ad ſe & ſucceſſores ſuos pertinere putavit; ſecus non allegaſſet:) *& voluerit ſe audiri; ſi juſtum putaverit, ut renovetur Examen, ſcribere his dignetur Epiſcopis, qui in finitima & propinqua altera provincia ſunt, ut ipſi omnia diligenter perquirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quodſi is, qui rogat cauſſam ſuam iterum audiri, & deprecatione ſua moverit Romanum Epiſcopum, ut de latere ſuo Presbyiteros mittat: erit in poteſtate illius, quid velit, & quid æſtimet. Si decreverit, mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis* (finitimæ provinciæ) *judicent, ut habeant etiam auctoritatem illius, a quo deſtinati ſunt; erit in ejus arbitrio. Si vero crediderit, ſufficere Epiſcopos comprovinciales, ut negotio, terminum imponant, faciet, quod ſapientiſſimo conſilio ſuo judicaverit.*

S. Leo itaque *Italicam* magis idoneam illam eſſe provinciam reputabat pro hoc judicio appellatorio a ſe conſtituendo, ceu magis remotam ab illis aulicorum violentiis, quibus Latrocinale illud Epheſinum Concilium tam iniquo

eventu regebatur. Sed quid de illa Fleurii adnotatione ſentiendum, quam ipſe tuam facere non audes, & qua Fleurius graviter ſcilicet advertit: quod, *quamvis illi Canones Sardicenſes, appellatione ab Epiſcopis interjecta, ſoli Papæ judicium tribuere videantur; tamen S. Leo id Concilio univerſali deferat, atque illud convocandi neceſſitatem tam ex Canonum præſcripto, quam ex Appellatione, a Flaviano ſuis adverſariis oppoſita, inferat.* Hoc de iſta adnotatione Fleuriana equidem certiſſime ſentio, bonum hic dormitaſſe Homerum.

Nam *primo* falſum eſt, Canones Sardicenſes ſoli Papæ judicium deferre, in perſona propria, aut per unum aliquem vel alterum delegatum judicem ferendum; ſed integræ vicinæ Provinciæ Epiſcopos ſimul ab eo delegandos judices volunt; id quod nempe ipſa prudentia alioquin Papæ ſuaderet, & fuga dominatus (Dem. Cath. 164.). *Tum vero* falſum eſt aperte, quod *generale* Concilium convocandi neceſſitatem S. Leo inferat vel ex illorum Canonum præſcripto, vel ex Flaviani appellatione. S. Leo reipſa nihil aliud neceſſario poſtulari probat ex his duobus, quam ut Imperator convocato Concilio judicio appellatorio locum & libertatem procuret.

Generale autem *Concilium* cur eum omnibus ſuarum partium Sacerdotibus convocari ſupplicet, S. Papa ipſe mox in contextu longe aliam affert, eamque prudentiſſimam rationem his verbis: *Supplicant omnes, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari; quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra ſit vel in fide dubium, vel in caritate diviſum.*

ſum, convenientibus utique Orientalium Provinciarum Epiſcopis; quorum ſi qui ſuperati minis atque injuriis, a veritatis tramite deviarunt, ſalutaribus remediis integrum revocentur; ipſique, quorum cauſſa eſt durior, ſi conſiliis melioribus acquieſcant, ab Eccleſiæ unitate non excidant. Tum ſequitur: *quam autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſarie poſtuletur* &c.

Generale, ecce! concilium non petit S. Leo, ſeu ob appellationem ſimpliciter interpoſitam, ſeu ob Canonum præſcriptum; ſed ob cauſſæ præſentis adjuncta; eo quod nempe quam plurimi Epiſcopi orientales ſimul judicandi eſſent, nimirum tum qui in Epheſino Latrocinali Concilio ſolummodo *minis ſuperati atque injuriis a veritatis tramite deviarant*; quos *ſalutaribus remediis in integrum revocandos* dicit; tum *& ipſi, quorum cauſſa eſſet durior;* qui nempe violentiarum Dioſcori Alexandrini participes fuerant, & errorum Eutychetis defenſores magno numero. Cauſſam videlicet tam numeroſorum & primi nominis Epiſcoporum, ex diverſis provinciis Epheſi congregatorum, & Imperatoris aulicorumque ejus favore inſolentium, non ſatis utiliter judicatum iri ab unius Provinciæ Epiſcopis prudentiſſimus Papa S. Leo judicabat, ac ſaltem æque generali Synodo ad hoc opus eſſe, atque erat ipſa Synodus Epſieſina; a cujus judicio ad ſe fuerat a S. Flaviano appellatum. Ecce inanitatem Fleurianæ obſervationis! Ecce ut omnis inter S. Gelaſium & S. Leonem contradictio evaneſcat! Ecce quam Tu parum ſolide hic quidem concludas!

Quod autem Romani quique Pontifices, Cæleſtinus I., Leo M., & ipſe quoque Leo X., cum

cum Sectarii ipſorum judicio non acquieſcerent, ipſimet, ſeu ultro, ſeu urgentibus Imperatoribus, Concilia generalia convocarint, vel ad convocata jam ab Imperatoribus legatos miſerint; iſtud tu quidem rurſus pro certo argumento habes, quod ipſi Romani iſti Pontifices agnoverint jus iſtud (*divinum* ſcilicet ex tua ſententia, qua tenes Concilia ſuperiora eſſe Succeſſore S. Petri) appellandi a ſuo judicio ad Concilium univerſale.

Ego vero confidenter ajo, ne probabilem quidem rationem huic argumento ineſſe, & facile quidem id ipſum oſtendo. Etſi enim ſolenni & vel paucorum Epiſcoporum conſenſu firmato judicio Succeſſoris S. Petri ſuprema & irrefragabilis auctoritas *in cauſſis fidei* jure divino conveniat: nihilominus, quia cuique Epiſcopo in ſuæ Diœceſi immediata poteſtas docendi, ac proinde hoc ipſo promulgandi Papæ illud judicium, incumbit: an non Succeſſoris S. Petri, qui primum viſibile fundamentum Eccleſiæ a Chriſto conſtitutus eſt, proprium officium eſt, ſubordinatorum ſibi paſtorum (qui ſecundariæ totidem, & immediatæ particularium Eccleſiarum columnæ ſunt) officium implorare, imo & pro poteſtate exigere, ut ſua unione & authentica adhæſione ad primum fundamentum proprio officio fungantur. Veriſſimum eſt, & vel ex modo dictis apparet, quod ſapientiſſimus Febronius in ſua Retractatione profitetur, videlicet æque infallibili effectu officio ſuo functuros Epiſcopos per orbem diſperſos, atque in Concilio congregatos. At enim quis neſcit majore emphaſi ob ſenſibilem ſplendorem id ipſum effici in Conciliis generalibus, ipſumque tam tam ſolennem conſenſum omnium columnarum ſpiri-

ſpiritualis Eccleſiæ ædificii cum fundamento ſuo viſibili primario (qui extra concilia in pleriſque tacitus ſolum eſſe conſuevit, & ſolo ſilentio ſignificatus) non quidem *majorem* firmitatem totius ædificii, attamen majorem vim ad perſuadendam veritatem infirmis mentibas, & ad refellendam ſectariorum audaciam, habere. Quodſi hoc ita eſt in cauſſis fidei, in quibus irrefragabile per ſe ſummi Paſtoris ſuffragiis quamlibet paucorum Epiſcoporum conjunctum judicium eſt: quanto magis in cauſſis aliis, ex. gr. Epiſcoporum, in quibus non ipſe ſolum Papa, ſed & concilia quantumvis numeroſa illi adhærentia, errare abſolute poſſunt, Summi Pontifices Epiſcoporum aliorum ſuffragia & opem in Conciliis admittere pro ſua ſapientia debuere. Unde & S. Auguſtinus L. II. de Bapt. c. 3. ait, *ipſa plenaria ſæpe Concilia prioria a poſterioribus emendari.* Nunquid tamen male tu exinde inde inferres, vulgo recte a Concilio quovis plenario ad aliud appellari?

Sed denique ad Caput rei accedis, atque in SS. literis legem fundamentalem inquiris (nam facta humana tam Pontificum, quam Conciliorum, & Imperatorum, facile in utramque partem verti poſſunt, & ab intentione ut plurimum pendent, ut aliquid, aut nihil probent; quæ facile incerta eſſe poteſt) qua Conciliorum ſuperioritas ſupra S. Petri Succeſſorem a Chriſto fuerit conſtituta. Principio autem retorqueri in me argumentum illud poſſe exiſtimas, quo dixi: *Si Chriſtus Dominus Primatem cœtui Epiſcoporum ſubditum, & ſupremum Eccleſiæ ſuæ imperium eidem cœtui competere voluiſſet, in lege fundamentali* aliqua *clare id exprimere debuiſſet pro divina ſua ſapientia.* Sic autem reipſa retor-

torques: *Si Chriſtus univerſalem Eccleſiam in Concilio congregatam ex toto voluiſſet Primati ſubjicere, debuiſſet illud in lege fundamentali clare exprimere, &, quod rei caput eſt, univerſa Eccleſia debuiſſet veritatem tanti momenti clare agnoſcere. Neutrum autem factum eſſe perſpicitur.* At enim, non probe ſatis vim argumenti mei te percepiſſe, hac ipſa retorſione oſtendis. Nunquid enim tu una mecum, & cum omnibus catholicis, etiam Galliæ, Epiſcopis pro certa veritate fidei catholicæ habes, & pro clara lege fundamentali regiminis Eccleſiæ a Chriſto Domino conſtituta; ut S. Petri perpetuus Succeſſor aliquis poteſtate ſuperiore jurisdictionis ſubjectos ſibi habeat *ſingulos* Epiſcopos; & hoc ſaltem pacto fundamentum ſit totius Eccleſiæ, id eſt, columnarum omnium Eccleſiæ ſingillatim; paſcatque omnes oves matres, & agnos? Opinor equidem: etſi nuſpiam clare ſatis ſuper iſthac re te ipſum explices. Sed nihil intereſt ad vim retorſionis tuæ, quid hac in parte ipſe ſentias: de relativo enim ſolum momento retorſionis tuæ ad argumentationem meam hic nobis diſceptatio eſt. Primam ergo legem illam pro certa hic mihi ſumere licet.

Jam nunquid recte ego ſic ſtatuo: Si ſupra Primatem adhuc tertia, ut vocant inſtantia judicii, & ſuperius adhuc tribunal a Chriſto conſtitutum eſt in univerſis Epiſcopis in Concilio congregatis; quorum ſinguli extra Concilia Primati ab eo ſubjecti ſunt; etiam hæc nova ſuperior jurisdictio æque clare conſtitui a Chriſto debuit; & quæ porro in Dem. Cath. §. 266. hac de re pluribus corollariis ſum complexus. Quodſi hoc clara lege a Chriſto inſtitutum non legitur, jurisdictio Primatis Eccleſiæ hoc ipſo

ſupre-

ſuprema erit, & ab ejus judicio ad totam Eccleſiam appellare non licebit. Quorſum jam tua retorſio? Nunquid item ſufficit, Eccleſiam ſemper clare agnoviſſe ſuperiorem Primatis in ſingulos Epiſcopos jurisdictionem; & probari non poſſe, quod Primatem ipſum Corpori Epiſcoporum ſubjectum eſſe clare agnoverit? Cetera æque levia, quæ ſubjicis, & centies jam explicata, de pari in *ſubſtantia* Apoſtolorum poteſtate, quæ in rigore intellecta ipſum *jurisdictionis* Primatum everterent, non moror; ſed ad textum *clarum* & decretorium Scripturæ tecum convertor, quo ſtatim tu quidem *deprehendis, univerſalem Epiſcoporum cœtum ſupremam in Eccleſia auctoritatem habere; cui vel Papa ipſe ſe ſubmittere debeat.* Et hunc ſcilicet Matth. XVIII. deprehendere tibi videris in illis verbis Chriſti: *ſi peccaverit in te frater tuus* &c., *dic Eccleſiæ* &c. &c. Hoc tu loco profecto, amice, nimis inaniter exultas.

Nec vides, quorſum argumentatio tua nos duceret, ſi ea probari poſſet ac ſolide ſuſtineri, *Chriſtus*, inquis, *omnibus diſcipulis præſertibus dixit*, *quod, ſi in quemdam ipſorum peccaverit frater*, *non proficiente correctione fraterna*, *ſit deferendus Eccleſiæ.* Ita profecto. *In quo autem*, inſtas: *conſiſtit Eccleſia* (*imperans*) *niſi in univerſali Epiſcoporum numero*, *vel in*, *vel extra Concilium conſpirante?* Amice, quæſo te! ubinam Chriſtus Dominus dixit: *dic Eccleſiæ* IMPERANTI? Sed videamus porro. Tu ergo hæc verba Chriſti, *dic Eccleſiæ*, vis intelligenda eſſe, unice univerſarum Eccleſiarum rectoribus; ego vero de rectore quovis immediato particularis Eccleſiæ, vel cujusvis demum fratris; id eſt, de Epiſcopo, ſi frater corripiendus ſit laicus,

cus, aut ſimplex presbyter; de Metropolita, aut Synodo Provinciali (ſi hæc ſubordinatio mediæ inſtantiæ inter Epiſcopum ſimplicem & Papam in uſu alicubi ſit pro diverſitate temporum), vel de Papa, ſi frater ille ſit Epiſcopus, ſic tamen, ut, quemadmodum Rectoris cujuslibet talis *Eccleſiæ* utut *particularis*, officium publicum & publica poteſtas eſt, ab eo correptio per ſententiam publicam, coram plebe fideli promulgatam, fiat. Imo in mea ſententia nihil obſtat, quo minus ipſe Papa, correpturus fratrem quemcunque immorigerum, convocando qualecunque concilium, particulare, aut generale (pro gravitate cauſſæ & ſpe varia ria majoris fructus) corripiat fratrem immorigerum in facie totius Eccleſiæ univerſalis ſolenniore judicio; quo ſimul evocet conſenſum omnium Epiſcoporum, ſibi ſubditorum, ad majorem ſolennitatem atque emphaſin ſententiæ ſuæ conciliandam.

Videamus jam, quis noſtrum *ſubtilius effugium* quærat; quis *ſine dubio* fallatur. *Eccleſia*, inquis, ut ego ipſe (im Dem. Cath. Sect. II. c. 2. §. 95.) fateor, tum ex etymologia nominis, tum ex definitione mea, *convocatam* hominum *multitudinem*, *viſibilem ſocietatem* ſignificat. Quomodo ergo de uno poteſt intelligi? An unus eſt multitudo? An unus ſocietas? In toto Evangelio vox *Eccleſiæ* in ſenſu literali nuſquam pro perſona una accipitur. Hæc tu ſatis argute, & confidenter. Quidſi ego pariter ſic contra te arguter cum Edmundo Richer, cum Simone Vigorio, cum Marco Antonio de Dominis, imo cum Luthero & Calvino. *Eccleſia* tum ex etymologia nominis, tum ex definitione omnium catholicorum, ſignificat convocatam

Digitized by Google

tam multitudinem non tantum Epiſcoporum, ſeu Rectorum imperantium, ſed omnium ſimul fidelium, etiam laiçorum. Quomodo ergo de ſolis Epiſcopis poteſt intelligi? an Epiſcopi tota multitudo fidelium, an tota viſibilis Societas chriſtianorum ſunt? In toto Evangelio nuſquam pro ſolis Epiſcopis vox *Eccleſia* ſumitur. Itaque ſine dubio falluntur catholici, cum negant, omnium fidelium, etiam laicorum, conſenſum neceſſarium eſſe, ut in correptione cujuslibet fratris, ſeu in fide, ſeu aliter errantis, decretorium judicium ultimum feratur; a quo appellatio locum non habeat. Quid reſpondebis tu argutiæ huic? Tum vero quam ſine dubio ſecundum te ſubtili effugio erravit in Libro Singulari Febronius; quam cum fundamento retractavit illud; cum diceret, illis verbis Chriſti, *tu es Petrus* &c., totum corpus Apoſtolicum deſignari. An unus homo multitudo, an ſocietas tota Apoſtolica eſt? Quam inique ergo ſecundum te S. Auguſtinus Tract. 124. in Joan. dixit: *Petrus propter Apoſtolatus ſui primatum Eccleſiæ gerebat Perſonam. - - Quando ei dictum eſt, tibi dabo claves &c.* UNIVERSAM *repræſentabat Eccleſiam.* Num unus homo Eccleſia eſt? Aut ſi, uno Petro publice fratrem in facie Eccleſiæ ſolenni judicio corripiente, dici ſine abſurdo manifeſto non poteſt, Eccleſiam uſam clavibus fuiſſe, & corripuiſſe fratrem: quo pacto recte dici poterit, Petro accipiente a Chriſto claves, Eccleſiam *imperantem* eas accepiſſe? Sed omiſſis argumentationibus ad hominem, ut vocant, directe rei ſubſtantiam aggrediamur.

Ajo ego affirmate: ne probabili quidem ratione defendi poſſe, Chriſtum per ea verba:

dic

Digitized by Google

dic Eccleſiæ, univerſam Eccleſiam imperantem, ut tu arbitratu tuo vocas, id eſt, univerſum Epiſcoporum corpus, determinate deſignare voluiſſe. Attende ſis, quam id ego ſolide in tui gratiam hoc loco novis ex rationibus oſtendam.

Inprimis nihil evidentius, quam vocem *Eccleſia* plurimis in SS. Scripturarum locis ſumi, non pro univerſali Eccleſia Chriſti, ſed pro ſingulari cœtu fidelium, habente proprium paſtorem, vel Epiſcopum rectorem. Sic legimus Act. XI. 22.: *Pervenit autem ſermo ad aures Eccleſiæ, quæ erat Jeroſolymis, ſuper iſtis:* & Act. XIII. 1. *Erant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores; in quibus Barnabas* &c. Act. XIV. 22. *Cum conſtituiſſent* (Paulus & Barnabas) *per ſingulas Eccleſias presbyteros, - - navigaverunt Antiochiam. - - Cum autem veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt, quanta fuiſſet DEUS cum illis.* Act. XV. 3. *illi ergo deducti ab Eccleſia, pertranſibant Phœnicen - - - cum autem veniſſent Jeroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia.* Ibid. 22. *Tunc placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia eligere viros ex eis.* Et. v. 41. ibid. *Paulus perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias.* Act. XVI. 5. *Et eccleſiæ quidem confirmabantur in fide, & abundabant numero quotidie.* Act. XVIII. 22. *Et* (Paulus) *deſcendens Cæſaream, aſcendit, & ſalutavit Eccleſiam.* Act. XX. 17. Paulus *a Mileto mittens Epheſum, vocavit majores natu Eccleſiæ.* Ad Rom. XVI. 1. Paulus ipſe ſcribit: *Commendo vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris. - - - Salutate Priſcam & Aquilam adjutores meos in Chriſto JESU; - - quibus non ſolus ego gratias ago, ſed cunctæ Ec-*

Aqui-

cleſiæ gentium. Ibid. v. 17. *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.* I. Cor. 1. *Paulus - Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi.* Ibid. IV. 7. *ubique in omni Eccleſia doceo;* Ibid. XVI. 1. *ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ;* v. 19. *Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ.* II. Cor. IX. 1. *Gratiam, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ* &c. Ibid. VIII. 18. *Miſſimus cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.* Ibid. XI. 23. *Inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* Ad Gal. I. 22. *Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ erant in Chriſto.* I. Theſs. II. 14. *Imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum DEI, quæ ſunt in Judæa.* Similiter hac voce utitur S. Petrus I. Epiſt. V. 13. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta.* S. Joan. Evang. in Apoc. I. 4. *Joannes ſeptem Eccleſiiis, qua ſunt in Aſia;* in quo toto libro non alio ſignificatu venit vox *Eccleſia*, quam particularis Eccleſia. Studio collegi locos plurimos, etſi multo plures afferre adhuc potuiſſem; ut appareat, quam nullo probabili argumento tum mox pro principio aſſumas, per ea verba, *dic Eccleſiæ*, univerſas Eccleſias intelligi. Quodſi ergo vel te ipſo conſentiente non obediens, ſed *imperans* Eccleſia, Matth. XVIII. in iſtis Chriſti verbis intelligenda ſit; vide ſis jam tu, amice; an ego *ſine dubio* fallar, cum teneo, rectorem particularis Eccleſiæ, cujus videlicet peccans frater immediate ſubditus eſt, illis verbis Chriſti deſignari. An adhuc defendes ſaltem, Chriſtum tam *clare* hoc loco potius univerſalem, quam particularem, quamlibet imperantem Eccleſiam indigitaſſe? Si ita eſt, argumenti ſaltem ipſius, de quo ibi agitur, natura, & contextus ſermonis, determinare hunc ſignificatum debent. De quonam autem agitur denique illo loco Matth. XVIII.?

Si

Si peccaverit in te frater tuus &c. *Univerſe* Chriſtus utique hic regulas præſcribit, quo gradu procedendum ſit in correptione cujusque *fratris*, id eſt, chriſtiani peccantis adverſus alium quemvis Chriſtianum. Et putas tu, Chriſtum Dominum ſtatuere voluiſſe, ut ob quamlibet cauſſam, in qua correctione fratris alicujus eſt opus, ſi iſte privatam correctionem non admittat, poſtquam fruſtra in præſentia duorum, vel trium teſtium a te correctus fuerit, tu cauſſam deferas ad univerſalis imperantis Eccleſiæ, id eſt, omnium Epiſcoporum, tribunal? An tanti tibi quælibet fratris obſtinati correctio videtur, ut univerſorum Epiſcoporum cura & auctoritas ex toto, qua late patet, orbe chriſtiano evocetur? Mihi, fateor, tam tenuia iſthæc tua argumenta videntur, ut nec probabilitatem ullo pacto attingant. Quid vero illa ſibi verba tua volunt? *Si Chriſtus per Eccleſiam Petrum intellexit, cur addit: Amen dico vobis: quæcunque alligaverit &c. Nunquid dicere debuiſſet: Amen Amen dico tibi: quæcunque alligaveris* &c. Num enim ego uſquam dixi Petrum præciſe per *Eccleſiam* intelligi; cum Chriſtus diceret: *dic Eccleſiæ*? Lege ſis iterum, quæ de hoc textu in Dem. Cath. §. 266. not. 2. dixi, & invenies, me per *Eccleſiam* intelligendum pro certo habere rectorem cujuslibet particularis Eccleſiæ, cujus jurisdictioni in foro etiam externo fater, qui corripiendus eſt, immediate ſubeſt, ut proinde verba illa, *quæcunque alligaveritis*, recte a Chriſto de ſingulis hisce rectoribus, & non de ſolo Petro, edicta fuerint. Et vero, ſi per ea verba, *dic Eccleſiæ*, Chriſtus non niſi univerſam Apoſtolorum, vel Epiſcoporum, cœtum intellexiſſet, poſtea non de ſingulis Apoſtolis dicere debuiſſet, ſed ſolum de univerſis collective: *quæ-*

Digitized by Google

quæcunque vos communi ac generali judicio alligaveritis &c.: atqui tamen de ſingulis dicit: *quæcunque alligaveritis* &c. Quidſi jam ego viciſſim ex te quæram: cur, ſi ad omnium Epiſcoporum generalem Synodum deferri fratrem peccantem Chriſtus voluit, ſi privatæ correctioni non cederet; cur, inquam, continue v. 19. ſubdit: *Dico vobis: quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis eſt. Ubi enim ſunt duo, vel tres, congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum?*

Illud amplius miratus ſum, quod tu tam confidenter exiſtimes, verba illa Petri ad Chriſtum, *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei*, idem ſignificare, ac, *Domine, quoties fratri in me peccanti dimittere debeo, donec is a me deferendus ſit Eccleſiæ.* Mihi vero indubitatum eſt, Petrum hæc ideo dixiſſe, quod audiſſet a Chriſto primo quidem, *ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum;* tum vero etiam, *quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo:* inde videlicet intelligens, peccanti fratri, ſi vel privatam, vel ſaltem publicam, coram Eccleſiæ ſuæ rectore acceptam correctionem cum ſubjectione & debita retractatione erroris ſuſcepiſſet, a ſe ignoſcendum eſſe, dubitare incipiebat, an etiam ſæpius, & quoties ignoſcendum eſſet relabenti ſæpius in priſtina peccata. Unde vel ipſa quæſtio, continue a Petro propoſita, novum ac præclarum argumentum eſt, ipſum S. Petrum verba Chriſti tam ea, *dic Eccleſiæ*, quam illa, *quæcunque alligaveritis* &c. *& quæcunque ſolveritis* &c., ceu ad ſingulas Eccleſias & earum rectores, vel certe aliquo ſenſu ſingillatim ad ſe dictas accepiſſe: ſecus enim quæ-

quærere oportuiſſet: *Domine! quoties peccabit frater noſter, & dimittamus ei?* Ecce! ut res ipſa, qua de agitur, ut contextus totus unice pro mea interpretatione loquatur. Dic jam tu ipſe, an ego *ſine dubio* fallar. Credam ſcilicet, ſi tu vel unum aliquem ex SS. Patribus afferre poſſes, qui corripiendum quemlibet fratrem immorigerum deferri debere ad univerſorum Epiſcoporum generalem cœtum, ſi privatam duorum vel trium teſtium correctionem non admittat, ex hoc Chriſti præcepto intulerit.

Ut vero porro appareat, quam undequaque labile ſit argumentum, quod ex his Chriſti verbis vulgo pro ſuperioritate Conciliorum generalium ſupra Eccleſiæ Primatem petitur, advertamus porro Chriſtus profecto hoc loco ne verbo quidem ullo innuit, actu ſe conſtituere *hic quidem* altius illud generalis Concilii tribunal; ſed, ſi etiam illa verba, *dic Eccleſiæ*, exprimerent generalem Apoſtolorum & Epiſcoporum cœtum, id eſt, univerſam Eccleſiam, ſuprema poteſtate, etiam ipſi Primati, imperantem, quod tu quidem vis; iſthic potuis promiſſum conſtituendi talis ſuperioris ipſo Primate tribunalis, quam actualis conſtitutio a Chriſto facta intelligi ſecundum omnes deberet: cum omnes interpretes communiter fateantur, ſicut Chriſtus Petro Matth. XVI. 16. primo ſolum promiſit, & poſtea primum Jo. XXI. 15. actu contulit Primatum; ita pariter Matth. XVIII. 18. per ea verba, *quæcunque alligaveritis* &c., ſolum promiſiſſe, Joan. XX. 21. ſeq. vero primum contuliſſe poteſtatem Apoſtolicæ jurisdictionis. Jam hoc veluti certiſſimo ſuppoſito præmiſſo, amabo, tu mihi oſtende, ubinam actu reipſa conſtituerit Chriſtus tribunal illud totius Eccleſiæ impe-

imperantis, altius tribunali S. Petri. An illis ipſis verbis Joan. XX. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, - - Quorum remiſeritis pecca-ta, remittuntur eis* &c. Atqui his verbis non cumulativam, qualis a toto cœtu optimatum communibus votis exercetur, ſed propriam ſingulis poteſtatem ligandi & ſolvendi dedit; quam ſinguli Apoſtoli, & ſinguli deinceps Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi in ſuas particulares Eccleſias, privative, & ſine communi reliquorum concurſu, libere exercerent; & quam deinde mox actu Jo. XXI. 15. S. Petro ceu Primati Eccleſiæ totius ſubordinavit, ſecundum id, quod huic promiſerat Matth. XVI. 16. Quodſi contra communem iſtam omnium catholicorum, etiam Galliæ, Epiſcoporum ſententiam tu id neges, ac potius pro arbitratu & auctoritate ſtatuas, eo loco Joan. XX. Chriſtum ſupremum illud generalis Concilii tribunal inſtituiſſe, ac non niſi cumulative exercendam ſupremam in Eccleſia ſua poteſtatem ibi contuliſſe Apoſtolis; edic porro, ubinam ergo idem Chriſtus Dominus dederit ſingulis Apoſtolis, & Apoſtolorum ſucceſſoribus Epiſcopis, ſingularem illam, ſingulis propriam, & privative, ut ajunt, in ſingulas Eccleſias & fideles ſingulos in prima inſtantia exercendam; de qua S. Cyprianus pag. 13. a te citatus Epiſt. 59. ait: *Sua gregis pars cuivis paſtori aſſignata, quam regat.* An Chriſtus Dominus iisdem verbis promiſit, & conſtituit ſimul tribunal infirmum ſingulorum Apoſtolorum & Epiſcoporum in particulares Eccleſias, idemque ſubordinatum S. Petro ceu Primati, & ſimul ſupremum tribunal Apoſtolorum omnium cumulative imperantium, cui etiam Primas ipſe ſubjectus eſſet? Enimvero ſic divinum Legislatorem obſcuriorem & confuſiorem omni humano utcunque ſapiente legis-

 lato-

latore effingis in lege fundamentali Eccleſiæ ſuæ ſtatuenda: cum nulli unquam legislatori humano inciderit eodem verborum tenore geminam judicii inſtantiam, inter quas alia tertia intermedia ſit, ſine omni diſcrimine verborum, ſubordinationis ordinem relate ad tertiam iſtam exprimentium, in ſtatu politico inſtituere. Iterum iterumque repeto, quod in Dem. Cath. §. 266. not. 2. hæc ipſa Chriſti verba explicans, *dic Eccleſiæ* (in quibus unis tota pæne vis probationis conſiſtit, quæ ex SS. literis pro ſuprema auctoritate Conciliorum generalium petitur) aſſerui, obſcuras nempe id genus argutationes excuſandæ temeritati in interpretanda lege fundamentali, a Chriſto pro Eccleſiæ ſuæ regimine conſtituta, nequaquam ſuffecturas in divino tribunali. Vide etiam a me jam dicta Tract. de Locis Theol. §. 158.

Quæ denique ſub finem hujus Capitis ex *S. Auguſtino*, ex *Concilio Generali octavo*, & *Sylveſtri II.* Epiſtola addis, brevider expedio. De *S. Auguſtino* jam ſupra cap. 2, & in Dem. Cath. §. 266. not. 1. & §. 276. not. 1. abunde & ſinceriſſime reſponſa dedi. Quod vero tu *octavi Concilii Generalis* verba illa pro tua opinione adducas, quæ, ceu illi e diametro oppoſita *audaciam* vocant, & prohibent, etiam in Synodo univerſali *ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Antiſtites*, iſtud voluntatis ſtudium prope nimium probat in conquirendis leviſſimis argumentis ad conceptam ſemel opinionem quocunque modo tuendam, cum periculo veritatis. Quandonam Romanus Pontifex; ex quod *Eccleſiam non audierit, ſicut Ethnicus & publicanus habendus ſit*, in Dem. Cath. §. 276. not. 4. ipſe dixi; videlicet cum privata ſententia hæreſin obſti-

ſtinate docet, a Prædeceſſore aliquo ſuo cum conſenſu aliquo Epiſcoporum publice jam declaratam; aut quando in caſu ſchiſmatis Eccleſiæ dubie electus Pontifex Eccleſiæ judicio ſe non ſubjicit. Nihil ergo hoc toto Capite affers, quod in tam gravi quæſtione, ipſam primam fundamentalem legem regiminis Eccleſiæ Chriſti attingente, momentum aliquod habeat. Jam vero putan' tu, leve piaculum eſſe, & temeritate gravi carere poſſe, legem illam fundamentalem, ab ipſo Chriſto conſtitutam, a qua ſalus omnis Eccleſiæ haud dubie pendet, ſcripto publico concutere, & attrectare? Et ſiquidem errore præventus hac ipſa in re peccaverit Febronius, putas, nullam illi ſatis gravem rationem fuiſſe publice illum errorem revocandi? An, quia multa opinione tua præclariſſima in Libro Singulari ſcripſit, idcirco, ne illa omnia ſimul everteret, permiſſo qualicunque puſillorum ſcandalo ſuperſedendum illi ea revocatione fuiſſe? Et quid demum illud eſt ex præclare ſcriptis a Febronio, & aliis, quod relicto S. Petri Succeſſoribus ſuo Primatu jurisdictionis divinitus conſtituto, & abjudicata Conciliorum generalium ſupra illos ſuperioritate, tam leviter in divinis literis fundata, continuo corruat, & evertatur?

Mirabar ego ſæpe, viros ceteroquin maximos ſpecie boni tam facile decipi potuiſſe, ut non niſi everſa fundamentali genuina illa lege regiminis Eccleſiæ, tam ſapienter, tam divine a Chriſto conſtituta, aut abuſibus caveri poſſe putarent, quos in praxi Romanæ Curiæ obſervaſſe credebant, aut limites poni Romanorum Pontificum dominatui ſeu in Epiſcopos, ſeu in ipſos quoque ſummos Principes & Reges. Atqui ego partim in regulis illis generalibus,

quas Cap. VI. Sect. II. in Dem. Cath. explicavi, partim in duobus, vel tribus aliis principiis remedium his omnibus abunde inveni, ſcilicet quod jurisdictio Primati qua tali propria non niſi mediata ſit, nec niſi ſervato ordine ſuccedere Epiſcoporum jurisdictioni in ſuo exercitio poſſit; deinde *quod*, quam independens ſpiritualis omnis Eccleſiaſtica jurisdictio eſt a politica, tam quoque independens ab illa ſit politica omnis Principum poteſtas; *quod* denique Principes chriſtiani, ut ex officio ſuo ſunt promotores & advocati omnis legitimi uſus Eccleſiaſticæ poteſtatis, ita etiam ſint defenſores libertatis naturalis ſubditorum ſuorum chriſtianorum contra omnem vexationem illegitimam in abuſum verſæ Eccleſiaſticæ poteſtatis. His principiis ſemel rite ſtabilitis affirmate pronuntio, *inprimis* nihil prorſus Principum, aut reipublicæ cujusvis politicæ, intereſſe, an penes Romanos Pontifices ceu Primates; an penes Concilia generalica, ſit ſumma rerum ſacrarum ex Chriſti inſtitutione poteſtas: *tum vero* hoc ipſo non niſi rebelles fidei & Eccleſiæ ſubditos cauſſam habere, cur exoptent, ac malint, penes Concilia potius rerum ſummam eſſe, quam penes Romanos Pontifices, ac proinde horum maxime intereſſe, ut doctrina iſta de Conciliorum generalium ſupra illos auctoritate, etiam conculcata divina Chriſti lege, divulgatur, & extollatur.

Quod ad primum attinet, audiamus ſcriptorem Gallum in paucis eximium *Petrum de Marca* in eximio opere *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, quod adhuc laicus edidit eo tempore, quo, ceu Præſes curiæ Palumenſis de mala fide, aut propenſiore in Romanos Epiſcopos favore ſuſpectus eſſe non poterit. Sic autem L. III.

c. 7.

c. 7. ſcribit: *Solet a pleris pragmaticis hoc fere præcipuum conſtitui Libertatis Gallicanæ Theorema, Concilium œcumenicum ſuperius eſſe Summo Pontifice; unde ſequatur nihil a Sedis apoſtolicæ præſultibus tentari poſſe, quod Synodorum generalium definitionibus adverſetur. - - - Attamen ſi cum bona Magiſtrorum venia, id quod ſentio, libere profiteri liceat; exiſtimo Libertates Eccleſiæ Gallicanæ hoc axiomate non omnino niti. Qui Romani Pontificis odium in has Libertates concitant, id præcipue urgent, eas alia ratione conſtare non poſſe, quam Apoſtolicæ Sedis dignitate in eo maxime imminuta, quod Pontifex Concilii Generalis auctoritati ſubjiciatur. Attamen hæc ſententia, etſi in Schola Pariſienſi, & ceteris hujus Regni Academiis certiſſima habeatur, in foro apud nos non diſceptatur; qui Libertates perinde tuemur, ſi de Concilii generalis novis Decretis, ac ſi de Romani Pontificis Conſtitutionibus agatur. - - Fruatur Summus Pontifex aut æquo jure cum Conciliis Generalibus, aut ſuperiore; illud unum in Foro expendetur, an nova Conſtitutio, vel novum Reſcriptum rebus Gallicanis conſultat, aut noceat. Si receptos Canones, vel receptos mores infringat aliquo pacto, ejus ratio non habebitur, niſi conſenſu publico accedente.* Notiſſima in hanc rem ſunt molimina Cleri Gallicani pro Tridentini Concilii in Galliis promulgatione ex una, & curiarum Galliæ repugnantiæ ex altera parte. Et vero, ſi ſumma politica poteſtas in omni ſphæra energiæ ſuæ independens eſt; cum ſimul energia ſua temporali modum ponere omni exceſſui Pontificiæ poteſtatis facillime poſſit; quid Summorum Principum intereſt, penes ſummos Pontifices, & paucos Epiſcopos, illis adhærentes, ſummam eſſe Eccleſiæ Chriſti mere

 ſpiri-

ſpiritualem poteſtatem; an penes generalem univerſorum Epiſcoporum cœtum?

Ex adverſo rebelles Eccleſiæ hoſtes quantum licentiæ inde obtinent, ſi ipſorum erroribus & temeritate compeſcendæ nulla alia, ſed ſola grandis illa moles totius Eccleſiæ imperantis, univerſique cœtus Epiſcoporum, par eſſe ſemel vel probabiliter credatur. Ubi inſuper illud probe advertendum, quod, quam lente & difficulter ingens illa machina totius cœtus Epiſcoporum, & vix unquam ſatis opportune, movetur, tam inſuper facile vis illius omnis, quantumlibet potens, eludatur. Nunquid enim tu iſtis ferocibus animis tam facile perſuadebis, ut majori votorum numero decretorii judicii vim in generali etiam Concilio ineſſe concedant? Nunquid Febronius ipſe in Libro Singulari Cap. VI. §. 8. talia docebat, quibus ſtantibus nec Arianiſmus toto ſeculo quarto decretoria ſententia damnatus, & Janſeniſmus hodiedum innoxius, habendus foret? Parum firmam ibi eorum ſententiam eſſe dicebat, qui extra Concilium partem majorem Epiſcoporum, cum Pontifice ſentientium, ultimatum judicium conficere credunt; *quia* non ſingulis, ſed corpori reſervatum tale inerrantiæ privilegium videtur: *ego vobiscum ſum* &c. *ubi unus, vel tres fuerint congregati in nomine meo* &c.; & *quia* antiquitus ignota fuit hæc ratio controverſias fidei terminandi: mavult enim ſingularis adhuc Febronius tenere, *per univerſalem Eccleſiæ obſervantiam* potius primorum trium Seculorum hæreſes proſtratas eſſe, quam per diſperſorum Epiſcoporum majoris partis conſenſum. Docet inſuper ibidem, principium de majore parte Epiſcoporum etiam congregatorum concluſum faciente humani juris eſſe, non divini:

ni: Concilia ad definiendum proceſſiſſe nullo refragante, vel certe non niſi paucis manifeſte exoticis. Pronuntiat demum: *totalis & unica catholicæ fidei regula, ad quam omnes ſub pœna hæreſeos & ſeparationis ab Eccleſia obligantur, eſt divina revelatio facta Prophetis & Apoſtolis propoſita vero ab univerſali Eccleſia vel in generali Concilio vel per univerſalem ejusdem Eccleſiæ obſervantiam.* Nunquid Richer, Vigorius, de Dominis, aliique pari jure adderent, *cum generali omnium fidelium conſenſu?* Cum utique etiam plebs omnis chriſtiana ad Eccleſiæ *ſubſtantiam* pertineat, & Chriſtus dicat: *qui Eccleſiam non audierit* &c. Et hæc tu exoptanda, aut certe nequaquam vitandi ſolius puſillorum ſcandali cauſſa retractanda a Febronio exiſtimabis? Cujus id ergo bono? an Eccleſiæ? Eccleſiæne ergo intereſt, ut errores contra fidem a Chriſto traditam quam diutiſſime impunes ſint, & liberrime non defendi ſolum, ſed & propagari poſſint, nec niſi difficillimum lentiſſimumque illorum remedium decretorium ſit? Quis ſapiens legislator non niſi talia morbis ſtatus ſui remedia inſtituit? Et hoc Chriſtus fecerit?

Nunquid ergo in propatulo eſt, quod, cum optima, ut nullus dubito, intentione Librum Singularem Febronius ſcripſit ad reuniendos Acatholicos veteres Romani Imperii noſtri cum Catholicis, reipſa novis veritatis catholicæ hoſtibus licentiam fecerit defendendæ temeritatis ſuæ adverſus Cathedræ S. Petri conjunctam cum Epiſcopis utut numeroſis auctoritatem, obtentu illo videlicet illis relicto, & approbato, quod nondum diſcuſſa in Concilio generali diſceptatione (de cujus remedii vel ſemel adhuc reditura copia ſcientiſſimi quique rerum præteritarum non

immerito dubitant) jus ſit illis a Papæ judicio ad illud appellare. Ex adverſo autem nihil omnino eſt, cur exiſtimemus, unicum eſſe remedium abuſus ſupremæ Pontificiæ auctoritatis reprimendi collatam ſupra S. Petri Succeſſores altiore loco generalis Concilii auctoritatem.

CAPUT V. REFLEXIONUM
DE RESERVATIONIBUS, EXEMTIONIBUS, ET ANNATIS.

Brevis hic eſſe potero. *De Reſervationibus* cum Febronius amplius non dicat, quam *minime injuſtas, imo Summi & Univerſalis* (Eccleſiæ) *Pontificis qualitati conſonans fuiſſe Beneficiorum Reſervationes; - - Nationum Concordatis*, quæ *vim pacti habeant, reſpective moderatas fuiſſe*; ab eo ſenſu, quem tu ipſe non improbas, recedere non videtur. Num enim decebat, ſiqua hac in re a ſuperioribus Pontificibus, vel illorum Miniſtris, non raro ad preces armatas ipſorum Principum (Dem. Cath. pag. 412. & 413.), immoderatio admiſſa eſt, rei ſubſtantiam abſonam a juſtitia dicere; ſi in modo ſolum peccatum eſt? Aut Prædeceſſorum Seculi XVI. immoderationem omnium ſequentium nomini imputare? An non elevari etiam qualemcunque accuſationem oportebat ab obediente filio, qui duriora multa, prius inique adverſus Patrem prolata, recantabat? Quin imo iis, quæ tu ipſe hac de re ſtatuis, videlicet *in tali gratia* (a Pontifice) *conferenda ſimul conſenſum Epiſcopi* (tacitum pel expreſſum) *neceſſarium eſſe*, iſtud inſuper addendum eſſe extra dubium equidem exiſtimo; nempe, ſiquo in caſu Romanus Pontifex conſenſum iſtum Epiſcopi ex cauſſa unice ad ſalutem ſpiritualem fidelium

lium pertinente peteret, & abnueret Epiſcopus, etiam reluctante Epiſcopo Pontificem poſſe Eccleſiæ, vel Beneficio, per idoneam perſonam aliquando providere, non quidem in prima inſtantia ſe immiſcendo, ſed corrigendo defectum Epiſcopi in ſecunda inſtantia, ut ajunt, quippe etiam rogante & momente Primate non facientis, quod ſalus Eccleſiæ alicujus aperte poſtulat. Talis mea opinione erat ille caſus, quem in Dem. Cath. §. 287. in not. 3. de *S. Martino I.* Papa adnotavi. Adnotatio iſthæc nondum expreſſe & ſingillatim a me addita illis, quæ in Dem. Cath. §. 286. not. 1. ſub finem tradidi de poteſtate immediata Primatis Eccleſiæ in foro interno omnes fideles abſolvendi a peccatis, in cauſſa fuit, ut ibidem a me dicta quosdam, ſeu puſillos, ſeu iniquos, offenderent, quibus additio illa ſuapte ſponte non occurrerat. Utor itaque lubens occaſione hac, ac declaro, me quidem, ſalva doctrinæ meæ ibidem traditæ ſubſtantia, minime dubitare, poſſe nihilominus Primatem in caſu a me poſito audire peccatorum confeſſiones, & ab his abſolvere, ſi innocenter, & ſolius ſalutis animarum ſtudio, communisque ſolatii cauſſa, conſenſum petenti non ſine ſcandalo aut inhonoratione Summæ dignitatis Epiſcopus abnueret; idque eo ipſo nomine, quod Primas vi ſuperioris ſuæ poteſtatis poſſit defectus & errores omnes inferiorum paſtorum ſupplere, & ſcandalis quibuslibet remedium afferre.

De Exemtionibus Regularium mentem meam quidem jam pridem declaravi tum in Dem. Cath. §. 286. not. 2., tum in Tract. de Sacramentis §. 545. not., tum alias. Si utiles illæ ſint Eccleſiæ, nemo poteſtatem eas decernen-

di Primati Eccleſiæ, opinor, abjudicabit. Quis autem neſcit, *omne* judicium de iſthac utilitate errori obnoxium eſſe. Optaſſem tamen gradus exemtionis mecum (Dem. Cath. loc. cit.) diſtinxiſſes, ut ſentires, fortaſſis non omnes illius gradus, ut tu in genere videris dicere, *nil niſi damna Eccleſiæ & detrimentum diſciplinæ* attuliſſe; *injurioſos Epiſcopis*, & *contrarios ordini hierarchico divinitus conſtituto*, fuiſſe. Adminiſtrabonorum temporalium, & diſciplina regularis inſtituto cuique propria, relate ad Epiſcopos non paria adjuncta cum ceteris gradibus habent.

S. Bernardi querela in praxin & uſum Exemtionum ſuæ ætatis cadebat; quæ ab eo tempore multum immutata fuit; cum monaſteria Abbatum in Congregationes coirent, & Mendicantium integræ Provinciæ ſub uno Provinciali, Provinciales omnes ſub uno Generali Superiore, regerentur. Ab inexpertis autem in diſciplina religioſæ perfectionis cuique inſtituto propriæ regulares regi an valde utilius ſit, merito dubitaveris. In ceteris gradibus exemtio illa majore indagine eget, utiliorne ſit, quam ſubjectio erga Epiſcopos. Quamdiu vero Epiſcopi non reclamant; quis noſtrum judex ille eſt, qui contra Paſtorum Eccleſiæ judicium alte exclamare ſine temeritate & abſoluta ſententia poſſit: *non tantum in theſi, ſed in hypotheſi, id eſt, in præſentibus univerſis illis temporum adjunctis, in quibus huc usque viguit, noxia potius erat, quam utilis?* Pæne (quod omnes boni hoc potiſſimum tempore exoptent) revocari denuo Clerum omnem Eccleſiaſticum ad vitæ regularis inſtitutum ſub Epiſcopo, quale in uſu primæ Eccleſiæ fuit: pone inſtitutum erigi, in quo omnes Eccleſiaſtici in Seminariis educationem apoſtolicæ

Digitized by Google

cæ vitæ propriam prorſus ad illum morem, qui in extincta ſocietate JESU erat, ad annum uſque trigeſimum & amplius accipiant; nullus niſi ad certum titulum ordinetur; omnes in una urbe, vel Eccleſia, ſub uno ſuperiore ex. gr. Parocho in regulari diſciplina perpetuo vivere cogantur: pone, non niſi ex hoc inſtituto Profeſſores bonarum artium & Theologicarum ſcientiarum, ſacros oratores, & Curatores animarum ſeligi; Clerum denique univerſum provida id genus educatione & ad doctrinam eminentem & ad vitam exemplarem promoveri: tum profecto & numero, & omni exemtione Regularium ultro Eccleſia levabitur.

De Annatis, cum ipſe fatearis non ad privati hominis judicium, ſed ad Nationis conſilium pertinere, num quid in Concordatis Germaniæ immutandum videatur, novi quidquam dicere non habeo; cum alias jam concepta etiam hac de re huc uſque edere in publicum mihi haud licuerit.

Illud ſolummodo præterea adere liceat: quidquid paginæ novellarum publicæ nuntiarint de prohibita a Summis Principibus *plurimis* impreſſione Actorum Retractationis Febronianæ; in Germania, in Auſtriacis dictionibus (licet tentatum aliquid fuerit), in Gallia, ſumma ſaltem Imperatoris, aut Regum, auctoritate durius illis nihil accidiſſe. Et vero, ſi caput illud unicum de *Exemptione regularium* excipias, nihil in ſua Retractatione edixit Febronius, quod ulla in parte ad Summorum Principum ſacra-jura attinebat. Siqua vero incommoda in ſtatum Politicum ex illa Exemtione alicubi redudarent, habebunt Summi Principes haud dubie media abunde

Digitized by Google

unde, queis, relicta etiam ſolis Eccleſiæ Principibus de illa Exemtione illiusque ſpirituali qualicunque utilitate immediate ſtatuendi poteſtate, ſuis ſubditis a damno quovis caveant.

Parum autem, imo nihil intereſt Summorum Principum, penes Papam, aut Concilium Generale Epiſcoporum, ſit ſuprema Eccleſiæ poteſtas; modo a quocunqne illorum intra præſcriptæ a Chriſto Domino moderationis limites illa exerceatur. Haud ita facile etiam ſpiritualis poteſtatis ab abuſu quod ſibi timeant, Principes habent, niſi temporalis etiam dominationis ambitione inſoleſcat. Solis ſaltem religionis hoſtibus obſequium ille præſtat, quisquis legem fundamentalem regiminis, a divino legislatore conſtitutam, ſeu volens, ſeu etiam inſcius, evertendam ſuſcipit.

Quapropter vehementer equidem deoro, atque obſecro, amice! quisquis es; ut ne improvide veræ & ſanctæ religionis hoſtibus operam tuam adjungas. Si tibi multa utiliter in Libro Singulari, ac vere olim ſcripſiſſe Febronius videatur; ne credas, quæſo, ea, niſi everſo Supremi JESU Chriſti Vicarii Jurisdictionis Primatu, & ſuprema in terris ſacra poteſtate, ſuſtineri non poſſe.

Ego vero, quidquid tu contra ſentias, Amice! quisquis es, mihi quidem oppido ignotus; ego, inquam, Retractationem Reverendiſſimorum & Illuſtriſſimorum duorum Præſulum, Fenelonii in Gallia, & Joannis Honthemii in Germania; præ univerſis eminentis ipſorum doctrinæ trophæis æſtimo, atque inter ea facta numero, quæ non niſi in heroës chriſtianos primi

mi nominis cadere poſſunt. Utinam id genus heroica animi demiſſio, & univerſis affectibus prædominans veritatis amor, conjungi cum qualicunque doctrina in quibusvis auctoribus errorum & ſchiſmatis potuiſſet! Utinam illa hodiedum in doctiſſimos quosque errantium in fide caderet! Utinam Eccleſia tot modeſtiſſimos Auguſtinos, quot ſumma ingenia, numeraret! profecto diviſio gregis Chriſti aut nulla unquam fuiſſet facta, aut unionis reſtitutio, tantis ſapientum omnium votis exoptata, quotidie in promtu foret.



Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google